LIBER SEXTUS.

DE DONATIONIBUS INTER CONJUGES Sponſalitia Largitate, & Arrhis.

Diviſio totius libri.

QUia diſſolutis ſponſalibus, quandoque acquiritur ſponſalitia largitas alteri ſponſo, & conſummato matrimonio ſemper acquiritur: arrhæque ſimiliter matrimonii conſummatione comparantur; non abs re erit de ſponſalitia largitate, & arrhis tractatum hunc edere. Et quoniam in eo tractatu, paſſim in id principium incidendum eſt, an donatio inter conjuges valeat; agendum eſt pariter de donationibus inter virum, & uxorem. Prius igitur de donationibus inter virum, & uxorem, quando ſint validæ, & quando invalidæ, agendum eſt, & quo pacto donationes invalidæ confirmentur. Deinde de ſponſalitia largitate, Tandem de arrhis.

DISPUTATIO I.

Utrum valida ſit donatio inter virum, & uxorem?

SUMMARIUM.

Donatio inter conjuges quotuplex ſit, & quid ſit ſponſalitia largitas, donatio ante nuptias, vel propter nuptias, & arrha, nu. 1. Et ibi donatio propter nuptias non eſt in uſu, & ejus loco ſucceſſere arrhæ.
Donatio inter conjuges eſt invalida, poteſtque ad libitum revocari, n. 2. & ibi, an ex ea oriatur obligatio naturalis, & in foro conſcientiæ.
Non tamen eſt omnino nulla nec tenetur conjux donatarius ſtatim reſtituere, 3.
An ſit invalida, ſi fiat ante conſummatum matrim. receptaſque Eccleſiæ benedictiones, num. 4. Et quid, ſi fiat poſt annum a contractio matrim. vel facta ante eum annum, confirmetur illius anni lapſu, num. 5. & ibi, leges fori vi carent, niſi probetur earum uſus.
Non valet donatio ante contractum matr. ſi ejus effectus differatur in matr. tempus, num. 6. Et ibi idem eſt aliquid fieri tempore inhabili, vel non permiſſo, & referri in tempus inhabile, vel non permiſſum.
Explicatur l. Inter eos, ff. de donat. inter virum & uxor. numer. 7.
Non valet donatio inter conjuges, per interpoſitas perſonas, 8.
Idem eſt, licet diu conjuges, ſeparati habitaverint, 9.
Quid, ſi donetur conjugi per eos, qui aliquo modo conjuges contingunt per patriam poteſtatem, ut ſi ſocer det nurui, 10.
Principale propoſitum ſemper inſpiciendum eſt, 11.
Ceteri contractus inter conjuges, valent, n. 11. & legatum, n. 12.

1 PRæmittendum eſt, donationem inter conjuges, vel ſponſos, quamdam eſſe ſimplicem, quamdam vero ob cauſam. Illa eſt, quæ ex meræ donantis liberalitate proficiſcitur, *l. in princ. ff. de donat. leg. 1. tit. 4 part. 5.* Hæc vero quæ non mere liberaliter, ſed ob aliquam cauſam fit. Et eſt triplex. Quædam eſt, ſponſalitia largitas. Alia, donatio propter nuptias, vel ante nuptias. Et alia, arrha. Sponſalitia largitas eſt, quæ fit inter ſponſos de futuro, ob matrimonii ineundi ſpem, ejuſque cauſam quam Hiſpane vocamus, *las donas, y joias que ſe enbian los deſponſados*, vocatur etiam mundus muliebris, teſte *Matienzo l. 5. recopil. t. 2. rubr. n. 1.* Appellatur etiam donatio ante nuptias, vel dotalitium quod tradit ſponſus ſponſæ, teſte *Jo: Lupo rubr. de donat. inter virum, & uxorem, §. 3. n. 2.* Licet alii pro eodem uſurpent donationem propter nuptias, & ante nuptias: ut *Ant. Gom. l. 50. Tauri num. 9.* Donatio autem propter nuptias, ſeu ante nuptias, eſt id quod confertur a viro, vel ab alio ipſius loco, pro matr. oneribus, ad ſimilitudinem dotis quæ confertur viro per uxorem: & ſic appellatur dos, *§ Eſt & aliud, inſt. de don. l. Cum multæ, C. de don. ant. nupt.* & diſſoluto matr. etiam poſt conſummationem, reddit ad virum, *c. fi. de donat. inter vir. & uxor.* ut dos data per uxorem viro redit ad ipſam ſoluto matr. Unde licet antiquitus donatio propter nuptias appellaretur arrha, apud Hiſpanos *l. 1, t. 11, p. 4.* valde tamen differunt. Quia ſoluto matr. arrhæ fiunt uxoris, nec redeunt ad virum donantem: ſicut redibat donatio propter nuptias. De qua differentia, & aliis conſulendus eſt *Ant. Gom. l. 52. Tauri n. 12.* Et de hac donatione nihil amplius dicendum eſt: abiit enim in deſuetudinem. Ut teſtantur *gl. auth. Æqualitas, fine, C. de pact. convent. Bal. auth. Dos data C. de don. propter nup. Pariſ. conſ. 95. nu. 35. l. 2.* & alii quos refert, & ſequitur *Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 11. fine, Jul. Clarus l. 4. receptarum, §. Donatio, q. 11. init. Tello l. 16. Tauri, n. 8. Valaſcus conſ. 2. n. 11. t. 1. Matienzo l. 5. recop. t. 6. l. 1. gl. 8. n. 8. Azeb. eod. t. 6. l. 12. n. 4. Jo: Garzia de donat. remuneratoria, n. 50. Barb. l. Si cum dotem, 23. §. Si pater n. 11. ff. ſol. matr. Spino ſpeculo teſt. gl. 18. n. 95. Angulo de melior. l. 9. gl. 3. n. 19. Ajora de partis 2. p. q. 44. fine, Avendano l. 29. Tauri gl. 2. n. 1. Mol. t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. ad fi.* Arrhæ autem non ſumuntur apud Hiſpanos, pro eo quod traditur in ſignum matr. contrahendi: in qua ſignificatione late egimus l. 1. de ipſis: ſed ſunt donatio facta ſponſæ, per ſponſum, in remunerationem pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis ſponſæ, quas ſoluto matr. ſponſa lucratur. Hæ autem arrhæ, quamvis valde diſtent a donatione propter nuptias, quæ olim erat in uſu: ſucceſſerunt tamen loco illius. Ut conſtat ex *l. 1. fi. tit. 11. p. 4.* ubi dicitur donationem propter nuptias appellari in Hiſpania arrhas. Et docent *Caſt. l. 50. Tauri n. 6. Gom. Adrias l. 49. Tauri n. 6. Jo: Lop. rub. de don §. 24. init. Suar. l. 3. fori, t. 2. de las arrhas, l. 1. n. 2. Greg. Lop. l. 87. v. Segun fuero, t. 18. p. 3. Burgos de Paz conſ. 14. n. 1. Valaſcus d. conſ. 2. n. 13. Olan. concord. lit. D. verb. Don. n. 7. Tello d. n. 8. Azebedo, d. l. 12. n. 4. Baeza de non melior. filiab. c. 11. n. 13. & c. 5. n. 18. Padilla auth. Res quæ n. 95. C. communia de legat. Barboſa d. §. Si pater, n. 11. Gutier. 3. pract. q. 43. n. 6. Spino d. gl. 18. n. 95. Aliora d. q. 44. P. Molina proxime cit.*

Hoc præmiſſo, I. Concluſio ſit: donatio ſimplex inter virum, & uxorem, non eſt valida: & ſubinde poteſt per donatorem ad libitum revocari. Habetur expreſſe *c. fin. de donat. inter vir. & uxor. & l. 1. 2. & 3. ff. eod. tit. & l. 4. t. 11. p. 4.* Quibus in locis ea prohibitionis hujus redditur ratio: ne mutuo ſe amore ſpolient. Quare cum tali donationi jus reſiſtat, nulla prorſus obligatio civilis, vel naturalis, ſeu in foro conſcientiæ, ex ea orietur. Ut conſtat ex *l. 3. §. Sciendum autem, ff. de donat. inter vir. & ux.* ibi, *ipſo jure quæ inter virum & uxorem donationis cauſa geruntur, nullius momenti ſunt.* Sic *Bart. l. Quod meo, init. & ibi Alex. ff. de acquir. poſſeſſ. Greg. l. 4. verb. Non deve, tit. 11. p. 4. Ant. Gom. l. 52. Tauri n. 64 fin. & to. 2. var. c. 4. n. 23. init.* 2

Monuerim tamen, hanc donationem dici nullam, & invalidam, non quod omnino nulla ſit, ſed quia poteſt ad libitum a conjuge donante revocari. Non eſt autem omnino nulla; quia (ut dicemus hoc 6. lib. diſp. 14.) confirmatur morte, trahiturque retro. Sic *Abb. c. fin. n. 3. de don. inter vir. & uxor.* ibi *Alex. de Nevo n. 3 Jo: Lup. rubr. de don. inter vir. & uxor. §. 69. n. 1. Tab. verb. Dos q. 9 n. 10. Mol. l. 1. de prim. c. 12.* Sicut etiam donatio cauſa mortis appellatur imperfecta, & invalida: eo quod uſque ad mortem revocari poteſt, licet a principio valida fuerit, dominiumque tranſtulerit. Ut bene docet *Mol. ib. n. 15.* Unde infero, conjugem cui alter aliquid tradit cauſa donationis, non teneri illud reſtituere, ſed poſſe tuta conſcientia retinere, expectareque, donec morte confirmetur, ſi donator præmoriatur. Et conſtat, quia jura concedunt ut ea donatio invalida, morte confirmetur, traditione rei donatæ ſecuta, vivo ipſo donante, & non aliter (ut dicemus eadem diſ. 14. n. 6.) ergo permittunt illi conjugi donatario retentionem rei donatæ, & ſibi traditæ, ut expectet confirmationem mortis donantis præmortui. Quod ſi conjux ipſe donatarius præmoriatur, donatio illa tanquam nulla, nec morte confirmata (ut dicemus ead. diſp. 14. n. 20.) cedit ad ipſum donantem, eique reſtituenda eſt. 3

Quidam temperant prædictam concluſionem, ut donatio inter conjuges minime valeat: quando fit matrimonio conſummato, & Eccleſiæ benedictionibus ſecutis, uxoreque ad viri domum traducta. Ducuntur, quia ratio prohibitionis, ante hoc tempus, non ita militat: cum non tanto eo tempore conjuges amore ardeant, ac poſtea. Item quia jura pro ea concluſione allegata, n. 2. docent non valere donationem inter virum, & uxorem: nomine autem viri, & uxoris in materia exorbitanti, correctoria, & odioſa, qualis eſt hæc, quia ſtando in jure naturę valebat donatio inter eos, ſolum comprehenduntur conjuges poſt matr. conſummatam (ut probavi l. 1. diſp. 1. n. 3.) Sic docent *Azor. Imola, Alex. Pirrus, Campegius*, quos refert *Ant. Gom. l 52. Tauri, n. 66. verſ. Octavus eſt*, & alii quos refert *Jo: Lup. rub. de don. §. 55. n. 1.* Sed dicendum eſt, non valere etiam inter ſponſum & ſponſam de præſenti, ante matrim. conſummatum. Probatur ex *l. Non ſine, ver. Quamvis, C. de bonis mater.* ibi, *idem jus tam de uxore, quam de ſponſa arbitratus eſt*: ubi ex rationis identitate docetur, diſpoſitum de viro, & uxore, ad ſponſos de præſenti protrahi: at in præſentiarum ſic contingit, major enim affectio eſt inter ſponſos de præſenti, cum omnia nova placeant, & quotidie tepeſcat amor. Quare tunc faciliores ſunt ſponſi, ac liberaliores ad petita ſibi invicem concedenda, quare mutuo ſe amore ſpoliarent. Indeque ortum habuit, ut lex fori (ut dicemus, n. ſeq.) decreverit, anno elapſo a contracto matr. valere donationem inter conjuges, quaſi tunc amore jam tepido, periculum ſe ſpoliandi ceſſarit. Præterea conſtat ex *leg penult. ff. de donat. inter vir. & uxor.* ibi, *itaque niſi ante matrim. contractum (quod de conſenſu intelligitur,) donatio facta eſſet, non valeret.* Sic docent *gloſſ. l. 3. v. Concubina, ff. de donat. inter vir. & uxor. Bald. Cynus* & alii, quos refert dicens nullibi oppoſitam ſent. poſſe practicari, *Jo: Lup rubr. de donat. §. 55. n. 2. & ſeq. Pariſ. conſ. 86. n. 40. & ſeqq. l. 3. Socin. Salic. Immola Alex.* quos refert, & ſequitur *Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 66. verſ. Octavus eſt, Segura l. 1. §. Si vir, n. 12. 13. & 14. ff. de acquir. poſſeſſ. Nav. ſum. c. 17. n. 149. Villal. in antinomia juris, lit. D. v. Donatio, n. 24. Greg. Lop. l. 3. v. Por palabras, t. 11. p. 4. Duenn. reg. 221. ampliat. 1. Olanus in concord. lit. D. v. Donatio, n. 69.* Itemque docent multi DD. aſſerentes *l. 52. Tauri*, permittentem donari ſponſæ de præſenti ſponſalitiam largitatem, corrigere jus commune, quod eam prohibebat: quos referam hoc 6. l. d. 23. n. 1. Et ex Theologis *P. Molin. t. 2. de juſtit. tr. 2. diſp. 289. §. Quamvis autem, Lud. Lop. l. 2. de contract. c. 47. f. 522. col. 2. verſ. Porro quoniam Manuel 1. tom. ſum. c. 92. n. 1.* 4

5 Alii intelligunt, ut donatio non valeat inter virum, & uxorem: niſi fiat poſt annum elapſum a contracto matr. tunc enim dicunt valere: Ducunturque per *l. 3. t. 12. l. 3. fori*, id diſponentem pro regno Hiſpaniæ. Et ratio eſt, quia tranſacto anno ceſſat amoris fervor, qui initio ipſius matr. cauſa eſſe poſſet, ut conjuges ipſi permiſſa donatione, ſe ſpoliarent. Sic tenent *Jo: Lup. rubric. de donat. §. 54. n. 2. Bernard. Diaz reg. 213. v. Quinto fallit, Montalv. l. 3. fori, t. 12. l. 3. Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 66. fin. Duennas reg. 221. fin.* Addit *Ant. Gom.* donationem inter conjuges intra annum primum matr. factam, confirmari lapſu anni, in Hiſpania: ſicut jure communi confirmatur morte. Sed uſus hujus legis probandus eſt ab ea alleganti: ut bene docent *Olanus concord. juris, lit. D. v. Donat. n. 70. Guttier. de juram. 1. p. c. 3. n. 25. Mol. t. 2. de juſt. tr. 1. diſp. 289. §. Gutturius de juram.* dicens eam legem non eſſe uſu receptam. Nam leges fori non ſunt proprie leges, ſed potius quædam ſcriptæ conſuetudines, tantum obligantes ubi uſu approbatæ ſunt. Ut conſtat ex *l. Tauri*, ibi, *mandamos que ſe guarden las leges de los fueros, en lo que ſon uſadas, y guardadas en los dichos lugares.* Quæ lex habetur in nova recop. legum Caſtellæ, in pragmatica initio illius poſita. Unde alleganti leges fori incumbit onus probandi eſſe uſu approbatas. Ut contra *Villalobos in comm. opin. lit. A v. Arrha n. 251. & Montalvum in ſuo repertor. v. Leges, & l. 10. t. 11. p. 3. & fi. t. 6. l. 1. fori*, dicentes præſumi eſſe in uſu: & ita alleganti non incumbere hoc probare, ſed adverſario neganti uſum, incumbere non uſum oſtendere; docent *Caſtil. l. 1. Tauri, v. En que fueron uſadas: & ibi Burgos de Paz a n. 107. & n. 119.* dicit ſic practicari in regio conſilio: *Suar. proœmio legum fori, n. 3. & ibi Baldeſius ejus additionator, Greg. Lop l. 7. v. Paladino, t. 2. p. 1. & lib. 28. v. Fruto, t. 15. p. 7. & l. 42. gl. 3. t. 13. d. 5. Gutt. & Olanus prox. cit. Idem Guttier. auth. ſacram. puberum, n. 66. C. ſi adverſ. vend. & l. 2. pract. q. 93. n. 3. Oroſcius l. De quibus, n. 4. ff. de legib. Roſas epitome ſucceſſionum, c. 18. n. 5. Maſcar. de probat. concl. 78. n. 22. Matien. l. 5. recop. t. 9. l. 2. gl. 2. n. 16. Azebedo lib. 4. recop. t. 14. l. 3. n. 1.*

6 II. Concluſio; non tantum donatio inter conjuges invalida eſt, ſed etiam donatio ante contractum matr. facta, ſi ejus effectus differatur in matr. contracti tempus. Conſtat ex *leg. Quod ſponſæ, 4 C. de donat. ante nupt.* ibi, *quod ſponſæ ea l. donatur, ut tunc dominium ejus adipiſcatur, cum nuptiæ fuerint ſecutæ, ſine effectu eſt.* Et ratio eſt, quia idem eſt rem fieri tempore inhabili, vel prohibito, & conferri ad tempus inhabile, vel prohibitum, *l. In tempus ff. de hæred. inſtit. l. Eum qui, ff. de juriſd. omn. judic.* cum multis ſimilibus congeſtis per *Tiraq. tr. de conſtit. limit. 2. n. 3.* Hanc concluſionem docent omnes.

7 Sed objicies *l. Inter eos, 28. ff. de donat. inter vir. & uxor.* ibi, *inter eos qui matr. coituri ſunt, ante nuptias donatio facta jure conſiſtit etiam ſi eodem die nuptiæ fuerint conſecutæ.* Unde *gl. c. fin. v. Conſtante, de donat. inter vir. & uxor. Angel. Donat. 3. n. 6. Sylv. Donat. 2. q. 1.* dicunt valere donationem inter ſponſos de futuro. 2. Quia, (ut dicemus hoc 6. lib. d. 18. n. 2.) ſponſalitia largitas valet inter ſponſos de futuro jure communi, & ejus eventus refertur in tempus contracti matr. cum ea tota non acquiratur donec conſummetur matr. ut dicam eadem diſp. 18. n. 2. Et cum jure communi nulla eſſet taxa huic ſponſalitiæ largitati impoſita, quidquid ſponſus donaret ante matr. contractum, valeret: cum poſſet pertinere ad ſponſalitiam largitatem. Nemo enim viam eligere videtur, qua ſua diſpoſitio ſubvertatur, *l. 3. ff. de milit. teſtam.* Ad 1. dic intelligi eam legem, quando donatio non refertur in tempus contracti matr. ſed abſolute fit, transferendo ſtatim dominium: licet enim poſtea eadem die ſequatur matr. firma manebit. Et ita *gl. l. Quod ſponſæ, C. de donat. ante nupt. v. Sine effectu*, reddens rationem, quare donatio facta ante matr. a ſponſo, collata in matr. tempus, non valeat: ait *quia ante matr. non tranſit dominium, quia noluit: nec poteſt, quia non potuit.* Ad 2. dic, ſponſalitiam largitatem non referri ad tempus contracti matr. ut dicemus infra, d. diſp. n. 8.

9 III. Concl. non valet donatio inter conjuges, etiam facta per interpoſitas perſonas. Ut ſi vir det aliquid cuidam, ut donet uxori. Sic habetur expreſſe *l. Si ſponſus, ſtatim in princ. & verſ. Generaliter tenendum eſt, & l. 3. §. Videamus, fi. ff. de don. inter vir. & uxor.* Quia paria ſunt per ſe, vel per alium facere: qui enim per alium facit, per ſeipſum cenſetur facere, *l. 1. in princ. ff. de eo per quem factum erit.* Et docent omnes.

IV. Concluſio, licet vir & uxor diu ſeorſum habitaverint, adhuc inter eos donatio non valet. Vere enim ſunt vir & uxor. Sic *Jo: Lup. rubr. de donat. §. 34. init. Duennas reg. 221. ampliat. 6.*

V. Concluſio, non tantum donatio inter conjuges non valet, ſed etiam inter eos, qui aliquo modo conjuges contingunt per patriam poteſtatem. Ut ſi ſocer det nurui. Quem caſum bene explicat *Jo. Lup. rub. de donat. §. 43. n. 1.* & expreſſe habetur *l. 3. §. Videamus, a verſ. Qui in ejuſdem, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Sed advertit *Jo: Lup. ead. rubr. §. 43. n. 1.* in Hiſpania ſublatum eſſe hoc & ſic valere: cum eſſet tranſacta patria poteſtas in filios per contractum matr. per *l. 47. Tauri*, quæ hodie eſt *l. 8. t. 1. l. 5. recopil.* per quam ceſſat iſte caſus. 10

VI. Concl. licet donatio inter conjuges non valeat: at ceteri contractus inter ipſos initi, valent. Ut venditio, permutatio, &c. Habetur expreſſe *l. Si ſponſus 5. verſ. Circa vend. ff. de don. inter vir. & uxor.* & hoc dummodo pretium æquivaleat rei venditæ: ſi enim pretium minus juſto ſit, remiſſio illa pretii, erit donatio invalida. Ut ibi expreſſe deciditur. Quod intellige, quando animo vendendi facta eſt venditio: tunc enim venditio valet, non autem remiſſio pretii: ſi vero animo donandi principaliter eſt facta, venditio nullius eſt momenti. Sic habetur expreſse ea *l. Si ſponſus, verſ. Circa venditionem.* Quia principale propoſitum ſemper inſpiciendum eſt *l. Rogaſti, in prin. l. Si quis nec cauſam, ff. ſi cert. pet. & l. Si quid donat. cauſa, ff. de contrah. empt.* Unde infert *Tiraq. alios referen, l. Si unquam, v. Donatione largitus, n. 4. C de revoc. donat.* vendita re minori pretio, animo vendendi, licet remiſſio illa pretii ſit donatio, excedatque 500. aureos, non indigere inſinuatione. Quia principale propoſitum fuit vendendi: qua tamen indigeret, ſi principale propoſitum eſſet donandi. Et hæc conſideratio magni eſt momenti: ut advertit *Alex. de Nevo c. fin. n. 8. de donat. inter vir. & uxor.* quia quando venditio non valet, ea reſcindetur pretio reſtituto: quando autem valet, ſupplebitur pretium, conſervata venditione. 11

Ultima Concl. legatum inter virum, & uxorem, valet. Sic ſupponit *c. Si pater. de teſtam. in 6.* & ex eo textu id notant *Anch. ibi n. 3. Francus not. 6. Acoſta ibi, p. 2. ſuper verb. Legavit, n. 1.* & omnes. Quia quamvis legatum quædam donatio ſit, *l. Legatum, la 2. ff. de legat. 2.* confertur tamen in tempus ſoluti matr. ad tempus collata donatio inter conjuges, valida eſt, ut dicam d. 3. n. 8. 12

DISPUTATIO II.

Utrum inter conjuges qui veri non ſunt, ſed putativi, valeat donatio?

SUMMARIUM.

Quot caſus diſputandi ſint, n. 1.
Quando uterque conjux novit matrimonii nullitatem, valet donatio in foro conſcientiæ, donec petenti fiſco, ſibi per judicem applicetur, & an hæc actio competat fiſco ſolum, quando matr. eſt conſummatum, 2.
Quando ſolus conjux legans erat conſcius impedimenti valet legatum, 3.
An idem ſit in donatione & dote, referuntur duæ ſententiæ, 4.
Sententia authoris, nu. 5. Et ibi ſolvens ex falſa cauſa, conſcius falſitatis, cenſetur donare. Et dos tradita viro ignoranti nullitatem per mulierem ejus conſciam, non eſt reſtituenda etiam ſoluto matrimonio.
Quid ſi conjux donatarius non laborabat ignorantia facti ſed juris, 6.
Quid ſi donans ignorabat nullitatem quam donatarius noverat, num. 7
Quid quando uterque nullitatem ignorabat, refertur opinio affirmans valere donationem, & legatum, n. 8. Et contraria authoris, 9.
An talis donatio morte donantis confirmetur, eodem 10.

UT clare, & diſtincte in re ſatis obſcura procedamus, 4. caſus oportet diſtinguere. I. eſt, Quando uterque conjux conſcius fuit impedimenti dirimentis matrimonium: II. Quando ſolus conjux donans ſcivit. III. Quando ſolus conjux donatarius ſcivit. IV. Quando uterque ignoravit, & ſic uterque putabat matr. tenere. 1

In I. caſu, quando utrique conjugi nota fuit matrimonii nullitas: conſtat apud omnes, non poſſe donatorem repetere, ſed fiſcum vendicaturum rem donatam. Sic enim habetur expreſſe *leg. Cum hic ſtatus 33. §. final. fine, ff. de donat. inter virum & uxorem*, ibi, *ſed ſi ſenator libertinam diſpenſaverit, vel tutor pupillam, vel quis alius ex iis, qui matr. copulare prohibentur, & duxerit: an donatio quaſi in ſponſalibus facta valeat? Et putem etiam ſponſalia improbanda, & quaſi ab indignis ea quæ donatæ ſunt, ablata, fiſco vendicari.* Idem habetur *l. 51. t. 14. p. 5.* Et quamvis difficultas non modica ſit, an fiſcus auferat etiam quando matr. non eſt conſummatum? 2

ut voluit Jo: Lup. rubr. de donat. §.36. n. 7. vel ſolum quando matr. eſt conſummatum, ut cum aliis quos refert, dicit ſatis probabile Greg. Lop. d. l. 51. verſ. Caſando. Quia leges puniunt inceſtum, qui copula perficitur. Sed quidquid ſit de hoc, quod ad forum pertinet externum: at in foro conſcientiæ dum fiſcus non repetit, ipſique per ſent. judicis applicatur, poteſt conjux donatarius tuta conſcientia retinere: nam tradens ex falſa cauſa falſitatis conſcius cenſetur donare, abdicatque a ſe dominium, transferens in donatarium, niſi hic illius dominii incapax aliquo jure effectus ſit: (ut n. 5. probabo.) At in hoc caſu donatarius non eſt factus incapax, ſed tantum in delicti matr. irriti pœnam, datur actio fiſco ad vendicandum, & auferendum ab eo: quæ pœna non obligat, niſi judicis ſententia ſubſecuta. Sic docent Ang. Donatio 3. n. 5. Sylv. Donatio 2. q. 1. Tabiena Donatio 3. q. 3. n. 3. fine.

3 In II. caſu, quando ſolus conjux donans fuit conſcius nullitatis, ſi ignoranti conjugi aliquid legavit; conſtat valere legatum. Id enim expreſſe habetur l. fin. ff. de legat. 1. l. Perfectus, ff. de rit. nupt. l. 2. §. Per contrarium, ff. de his quibus ut indign. Et tenent gl. l. Qui contra, verb. Fiſco, C. de inceſt. nupt. & ibi, omnes ſcribentes: ut teſtatur eos ſequens Acoſta, c. Si pater, de teſtam. in 6. p. 1. ſuper verb. Uxorem, n. 5. Molina to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 200. f. 1222.

4 Difficultas autem eſt: an idem procedat in acquiſitis a conjuge ignaro, per alium contractum inter vivos? Ut ſi conjux ſciens donavit aliquid ignoranti, vel ipſum dotavit, gl. l. qui contra, verb. Fiſco, Cod. de inceſ. nupt. duas refert ſententias. Alteram aſſerentem non eſſe idem: ſed donatione aquiſita applicari fiſco: per l. Cum hic ſtatus, 33. §. fin. ff. de don. inter vir. & uxor. Et hanc videtur ibi amplecti: & tenent gl. ea. l. Cum hic ſtatus §. f. verb. Fiſco, & l. 3. verb. Concubinæ ff. de don. inter vir. uxor. Abb. c. fin. de donat. inter vir. & uxor. n. 14. ubi Alex. de Nevo n. 14. Præpoſ. n. 9. Jo: Lup. rubr. de don. §. 36. n. 7. Ravennas, Raphael, Fulgoſ. Salic. Caſſanæus, quos refert, & ſequitur Cov. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 1. n. 8. in 1. edit. Et quamvis Greg. Lop. l. 50. verb. Tenudo, t. 14. p. 5. referens hanc ſententiam, dicat eam diſtinguere inter contractum donationis, & dotis, & velle legatum, vel donationem acquiri conjugi ignoranti, non tamen dotem. Vere tamen DD. citati non diſtinguunt ultimam voluntatem a ſolo dotis contractu, ſed etiam a donatione, & quocunque contractu inter vivos. Alteram autem ſent. refert d. gl. ſentientem, idem eſſe in legato, & quocumque contractu inter vivos: & ita donationem illam, aut dotem acquiri conjugi ignoranti, nec fiſco competere repetitionem. Quæ ſent. verior eſt. Nec obſtat d. l. Cum hic ſtatus, §. in fin. applicans hanc donationem fiſco, intelligitur enim, quando uterque conjux in mala fide conſtitutus fuit. Quia nullus eſt textus, qui retragetur: nec ratio legitima reddi poteſt, cur donatum conjugi illi in bona fide conſtituto, auferendum ſit ab eo, fiſcoque applicandum: nec eſt aliqua differentiæ ratio congrua in hac re inter ultimam voluntatem, & donationem. Quoties autem non traditur legitima differentiæ ratio, valet argumentum de contractibus, ad ultimas voluntates, & e contra: ut late Everard in ſuis topicis, loco 36. a contractibus ad ultimas voluntates. Et ita hanc partem tuetur cum aliis Acoſta c. Si pater, de teſtam. in 6. p. 1. verb. Uxorem, n. 6. Et Cov. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 1. n. 6. in 2. edit. ait poſſe defendi hanc ſententiam. Et eamdem tenet Molina to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 200. f. 1223. fine.

5 At quidquid ſit de jure communi, eſt de jure regio Caſtellæ l. 50. t. 14. p. 5. quæ clare videtur applicare conjugi ignoranti: ibi: ſapiendo alguna mujer que non podria caſar con algun ome, con que oviesſe pleito de caſamiento, por que fueſſe ſu pariente, o por que illa oviesſe otro marido, &c. e non ſetendo el ſabidor que avia entre illos algun embargo, caſaſſe con ella, ſi le diſſe ella alguna coſa por dote: maguer el caſamiento ſe partieſſe por eſta razon, non podria ella demandar a quello, que le ovieſſe dado por dote, nin ſeria tenudo de gelo tornar. Ubi Greg. Lop. verb. Tenudo, dicit, licet hæc lex non ſatis explicet, an ea dos cedat viri lucro: at juncta lege ſeq. applicanti fiſco quando uterque conjux impedimentum novit, clare ſignificare: ſecus eſſe in hoc caſu, quando donans tantum conſcius fuit: & ita concludit non poſſe mulierem repetere dotem, & ſi tantum promiſiſſet, teneri ſolvere. Idem Suar. l. 3. fori, t. De las genancias, l. n. 19. ver. Sed reperio, & ſic concludit, virum inſcium ejus impedimenti non teneri ſoluto matr. ad dotem reddendam. Idem docet Jo: Lup. rubr. de don. §. 36. n. 7. fi. loquens de donationibus. Idem loquens de quocumque contractu inter vivos, Acoſta d. verb. Uxorem, n. 6. & 7. Molina d. diſp. 209. f. 1223. Idem Cov. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 1. n. 7. Matienzo l. 5. recop. 9. l. 2. gl. 1. n. 5. ubi uterque dicit, per hanc legem ea quæ conjux ſciens alteri ignoranti dedit in dotem, aliumve titulum, amitti, & penes ignorantem manere. Idem loquens in donatione, Nav. l. 3. de reſtit. cap. 1. in nova edit. dub. 8. n. 104. & 106. Et probatur, quia ſolvens ex falſa cauſa, quam novit eſſe falſam, cenſetur donare: & ideo non repetit, l. Cujus per errorem, ff. de reg. jur. & l. 1. ff. de condict. indeb. & l. 30. t. 14. p. 5. unde orta eſt doctrina Bart. auth. Ingreſſ. C. de ſacroſ. Eccleſ. Ant. & Abbatis; & communiter ſcribentium, c. in preſentia, de prob. dicens offerentem ſe, & ſua monaſterio, ſcientem ingreſſum non valere, ea minime recuperare vitiato ingreſſu. Et ita ex his omnibus concludo, conjugem ignorantem, recipientem a ſcienti, titulo dotis, aut donationis, aut cujuſcumque contractus inter vivos, aut ultimæ voluntatis, in neutro foro teneri etiam diſſoluto matr. reſtituere: quia donans ex ea falſa cauſa, & matrimonii falſitatis non ignarus, cenſetur donare: & lex talem donationem applicat conjugi ignoranti.

Hoc tamen temperat Acoſta d. verb. uxorem n. 7. quando conjux laborabat ignorantia facti: nam ſi ignorantia erat juris, quia ſcilicet, impedimentum novit, ignorabat tamen non poſſe eo ſtante matrim. conſiſtere: licet poſſit mulier ſæpe ea ignorantia juvari, ne propria bona amittat: non tamen juvatur ut lucrum compararet, l. Si adulterium, §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. & ibi gl. v. Illicitum, Bart. & communis, ut refert, ac ſequitur Cov. 4. decr. 2. p. c. 6. §. 8. n. 22. unde dicit Acoſta, merito quaſi ab indigno auferri donationem per fiſcum. Sed hoc procedit in foro externo, ſecuta judicis ſententia (ut dixi num. 2.) Quare ante ſententiam poteſt donatarius tuta conſcientia retinere. 6

In III. caſu, quando conjux donatarius impedimentum novit, at donator erat in bona fide conſtitutus: tunc ſic legatum, non pertinere ad hæredes legantis, ſed ad fiſcum, tenent multi quos refert Acoſta c. Si pater, de teſtam. in 6. p. 1. v. Uxorem, n. 11. Sed merito ab eis recedit, 14. 15. & 16. diſſolutis contrariis fundamentis, docetque legatum, & donationem eſſe nullius momenti: atque ita legatum hæredibus donantis, donationem vero ipſi donanti, & ipſo mortuo, hæredibus ejus reſtitui debere. Et idem ſequitur Mol. tom. 2. de juſtit. tr. 2. diſp. 200. f. 1225. Probatur quia in donatione ſic diſponitur, l. Cum hic ſtatus, 33. §. fin. verſ. Si quis ſponſam, ff. de donat. inter vir. & uxor. at legatum, quædam donatio eſt l. Legatum, la 2. ff. de legat. Item, quia tam legatum, quam donatio ex errore procedunt, quia legans, vel donans exiſtimat legitimum eſſe matrimon. nihil autem magis contrarium conſenſui eſt, quam error, leg. Si quis per errorem, ff. de juriſd. omn. judic. Tandem, quia conjux ignarus, delicti expers fuit, ergo non eſt æquum ob delictum, & dolum alterius, ut ſuis bonis privetur, fiſcoque applicentur. 7

In IV. caſu, quando uterque conjux inſcius impedimenti, putabat matr. valere: videtur dicendum, donationem eſſe validam: per l. Si ex voluntate, 7. C. de donat. inter vir. & uxor. ibi, ſed ſi matr. jure non valuit: licet ipſo jure donatio tenuerit: quia tamen indigna perſona ejus fuit, qui nec maritus poteſt dici, utiles actiones ſuper revocandis his, tibi competunt. Et textum intelligi quando uterque conjux ignorat, unde conſtat. Quia concedit danti repetitionem, dicitque mere juvare valere. Quod cum conjuges norunt impedimentum, non evenit, ſed vendicat fiſcus: (ut dixi n. 2.) Et ita explicat eum textum, gl. 1. Cum hic ſtatus, §. fin. v. Fiſco, ff. de donat. inter vir. & uxor. Quare Angel. Donatio 3. n. 5. Roſella Donat. 1. n. 36. Sylv. Donatio 2. q. 1. Tabiena Donatio 3. q. 3. n. 4. fin. dicunt inter conjuges putativos valere eam donationem, poſſe tamen donantem revocare, ſi uterque impedimentum ignorabat. Et Bald. Novel. de dote, p. 11. priv. 13. tenet ſine dubio valiturum legatum in hoc caſu: & Molina to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 200. f. 1226. dicit ex conjecturis deprehenſum eſſe, an valet legatum: & in dubio inclinandum eſſe, ut valeat. 8

Sed dicendum eſt, donationem nihil prorſus valere. Et id ſignificat l. Si ex voluntate, cit. nu. præced. pro contraria ſententia: quaſi dicat, licet videatur valere in rigore juris: at quia revera non erant conjuges, non valet, & poteſt donator repetere. Idem probatur ex ratione textus, l. cum hic ſtatus, §. fin. verſ. Si ſponſam, ff. de don. inter vir. & uxor. ubi dicitur donationem factam uxori putativæ non valere, ſed redire ad donantem. Redditurque ratio his verbis, quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem fecit. Præterea, quia hæc donatio procedit ex errore, qui conſenſum excludit. Item, quia donatio inter veros conjuges appellatur invalida, (ut dixi diſp. præc. nu. 2.) cum tamen morte confirmetur, qua ratione dixi ibid n. 3. poſſe conjugem donatarium retinere, expectantem morte donantis confirmari: ergo a fortiori hæc donatio inter conjuges putativos erit invalida, nullumque retinendi jus detecta matr. nullitate confert: cum nec morte donantis confirmetur: ut ex d. l. Cum hic ſtatus, §. fin. colligunt Bald. l. eam quam, n. 22. C. de fideicomm. Jo. Lup. rubr. de don. §. 36. n. 7. init. Suarez l. 3. fori, tit. De las ganancias l. 1. nu. 4. Cov. 4. decret. 2. p. c. 7. §. n. 8. Ant. Gom. l. 52. Tauri n. 77. fine, & n. 65. fin. explicans licet ignoranter contraxerint: Matienzo l. 5. recop. tit. 9. lib. 2. gloſſ. 1. num. 6. Sic docent Abbas cap. fin. nu. 14. de donat. inter virum, & uxor. ubi Præpoſ. num 9. Suarez, num. 4. proxime cit. Anton. Gomez, leg. 52. Tauri, num. 77. fine, & melius ceteris Acoſta, cap. Si pater de teſtam. in 6. part. 1. verb. Uxorem, num. 18. ubi etiam legatum irritum eſſe docet, ob defectum voluntatis, & ad teſtatoris hæredes pertinere. 9

DISPUTATIO III.

Utrum in aliquibus caſibus valida ſit donatio inter virum & uxorem?

SUMMARIUM.

Valet inter Imperatorem, & Imperatricem, & Principes non recognoſcentes ſuperiorem, n. 1. Item quando donatione non ſit recipiens ditior: ut ſi donetur ei cauſa ſepulturæ, n. 12. Et ibi, idem quando donantur ei redditus ad capellaniam, vel ad oleum, & ceram ad templum illuminandum, vel ad alia ad Dei cultum. Et donationes inter conjuges non ſunt amare tractandæ.

An ſi conjux donatarius inutiliter rem expendat aut partem illius, teneatur revocata donatione, integre reſtituere. Et quod tempus inſpiciendum ſit ad diſcernendum, an conjux donatarius factus ſit re donata locupletior, 3.

Valet donatio, ſi conjux pecunia ſibi ab altero donata, ſolvat ſportulas: id eſt, vectigalia, vel expenſas pro ſtudio, aut nuptiis conſanguinei, n. 4. Et ibi, quid ſi in his caſibus rem donatam conſervaſſet, tantumdemque de ſuis bonis in ea re conſumpſiſſet. Item valet donatio inter conjuges ad refectionem ædium alterius incenſarum, 5.

Valet donatio, quando conjux donat conjugi, non ut apud illum res maneat, ſed ut donet alteri, n. 6. Et quid quando donans non ſit pauperior, vel renunciat in favorem alterius, lucra conſtante matr. acquiſita vel acquirenda, remiſſive, 7.

Quid, quando donatur, ut donatio acquiratur alteri conjugi tempore ſoluti matr. 8.

Valet, ſi uxor donet viro gratia honoris, vel dignitatis adipiſcendæ, vel ludorum præparandorum authoritate publica, vel cauſa ſtudii, licentiæ, aut doctoratus obtinendi, nu. 9. Et ibi, idem pro militia, aut nobilitate acquirenda.

Valet, ſi vir remittat uxori promiſſam dotem, vel illius partem: non autem ſi aliud debitum remittat, n. 10. Et ibi, quid ſi ad certum terminum debet aliud uxori, & ante illum ſolvat, vel conſtante matr. ei dotem reſtituat.

Quid, ſi vir remittat uxori uſuras dotis non ſolutæ, 11.

Quid, ſi vir donet uxori quid annuum ad alimenta, nu. 12. Et ibi, an valeat, ſi tantum promiſſum ſit, vel morte confirmetur, quamvis traditio ſubſecuta non ſit.

Quid, ſi donet uxor viro, exilii cauſa, n. 13. & quid, ſi alter ex conjugibus utatur ſervis, vel animalibus alterius, vel in domo alterius habitarit gratis cauſa donationis, nu. 14. Et quid ſi donatio ſit remuneratoria, remiſſive, 15.

1 Affirmative reſp. ut conſtabit ex caſibus ſeqq. I. Caſus eſt, in quo valet donatio inter vir. & uxor. ſi fiat inter Imperatorem, & Imperatricem. Habetur expreſſe l. pen. ff. de donat. inter vir. & ux. Quia contractus imperiales obtinent vim legum. Idem eadem ratione dicendum eſt, de donatione facta inter Regem, & Reginam, ut docent Nav. ſum. c. 17. n. 149. Ant. Gom. l. 52. Taur. n. 66. verſ. Octavus eſt, Molina to. 2. de juſt. t. 2. diſp. 289. §. In eventibus, Lud. Lop. l. 2. de contract. c. 57. §. Porro quoniam. Idemque eſt, ſi fiat inter alios Principes minime ſuperiorem recognoſcentes, Ut bene Molina ibid.

2 II. Eſt, quando ex donatione conjux donatarius non fit ditior, licet donans reddatur pauperior. Quia jam videtur cauſa prohibitionis ceſſare, cum enim recipiens non fiat ditior, non proprie ſpoliat alterum. Habetur expreſſe l. Si ſponſus, 5. verſ. Conceſſa donatio, ibi, conceſſa donatio eſt ſepulturæ cauſa. Nam ſepulturæ cauſa locum marito ab uxore, vel contra donari poſſe conſtat. Hoc autem ex eo evenit, quod definiri ſolet, eam demum donationem impediri ſolere, quæ & donantem pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem. Porro hic non videtur fieri locupletior, in ea re quam religioni dicavit. Nec moveat quemquam quod emeret, niſi a marito accepiſſet. Nam & ſi pauperior ea fieret, niſi maritus dediſſet, non tamen idcirco fit locupletior, quod non expendit, ff. de don. inter vir. & uxor. ubi gl. verb. Nec moveat, opponit monere debere, tantum de ſuo patrimonio conſumpturum conjugem, niſi alius donaſſet. Quia revera locupletior efficitur: ut l. in pupillo, ff. de ſol. Et reſpondet, aliud eſſe in pupillo, qui certat de lucro injuria alterius non acquiſito: & aliud de conjugibus, inter quos donationes hæ non ſunt amare tractandæ: ut dicit text. l. Si i ſquod, verſ. Si quas, ff. de donat. inter vir. & uxor. Hic etiam caſus expreſſe eſt definitus l. 6. tit. 11. p. 4. & redditur ibi ratio, in fin. ibi, por que aquel aquien las dan non ſe aprovecha de elles, en ſu vida Otroſi, por que ſon dadas en manera que ſe torna en ſervitio de Dios. Unde infert Jo: Lup. rub. de donat. §. 38. n. 2. valere ſimiliter, ſi conjux conjugi donet redditus ad capellaniam dotandam, vel ad oleum, & ceram ad illuminandum templum.

3 Hinc infertur, ſi vir donet aliquid uxori, & ipſa inutiliter expendat, valere donationem, nec teneri uxorem reſtituere id quod inutiliter expendit: ut ſi donata ſunt 100. & prodige expendit 50. tantum tenere reſtituere, donatione revocata, illa 50. quia in illis tantum locupletior facta eſt. Prob. ex l. Quod autem, 8. §. Si maritus, ff. de don. inter vir. & uxor ibi, qui non fit locupletior, quæ tantundem in re mortua impenderit, ubi gloſſ. verb. Mortua, inquit, ideſt, de qua non eſt locupletior. Et l. Si ſponſus 5. fi. ff. eod. tit. ibi, ubicumque igitur non diminuit de facultatibus ſuis qui donavit, vel etiam ſi diminuat, locupletior tamen non fit qui accepit, donatio valet. Sic docet gl. c. fi. de don. inter vir. & uxor. v. Locupletior fi. ubi Abb. n. 8. Alex. de Nev. 29. Præpoſ. n. 4. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 48. n. 1. Angel. Donat. 3. n. 2. Sylv. Donat. 2. q. 1. Tab. Donat. 3. q. 2. n. 2. Greg. Lop. l. 4. v. Mas rico, t. 11. p. 4. Ant. Gom. l. 52. Tau. n. 67. init. Addunt fere omnes hi DD. ſecus eſſe, ſi hæres conjugis donatarii inutiliter expendiſſet: quia ſatis eſt, ut uxor recipiens, ditior facta ſit. Ait autem Greg. Lop. dijudicandum eſſe, an conjux donatarius factus ſit locupletior, inſpecto tempore mortis donantis. Sed hoc non percipio. Quia ſi prius moritur donans, nec revocavit donationem confir. morte: & ita nihil eſt reſtituendum. Si revocavit, jam ex tunc donatio non valet, & venit reſtituenda. Si vero donatarius prius decedat, jam ex tunc revocata manet donatio. Quare credo inſpiciendum eſſe tempus, quo revocatur donatio: ut colligitur ex Ant. Gom. eo. n. 67. init. Quia ex tunc tenetur conjux donatarius reſtituere, & caret jure expendendi. Hoc corollarium temperat Molin. to. 2. de juſt. tr. 2. d. 289. §. Obſerv. ut tantum ſit verum, ſi res vel abſque culpa conjugis donatarii periit, vel utiliter conſumpta fuit in expenſis, quas alioquin facere tenebatur maritus, aut cenſebatur contentus ut eas faceret uxor: ſecus autem, ſi donatarius ejuſmodi rem donavit, aut inutiliter conſumpſit. Interim namque dum donatio non erat morte donantis confirmata, fas illi non erat inutiliter expendere, atque prodigere. Sed hæc limitatio diſplicet: quia textus, & DD. allegati innituntur illi rationi, quod conjux donatarius, ditior effectus non ſit in quantitate inutiliter conſumpta: quæ ratio militat, ſive abſque culpa perierit, ſive culpa ſua prodegerit: & donatio illa quamvis non confirmetur uſque ad donantis mortem; eam tamen tacitam conditionem habet, ut dum revocatur ſolum reſtituenda ſit, quatenus donatarius conjux locupletior tempore revocationis factus eſt.

2. Infertur, valere donationem, ſi uxor pecunia ſibi ab altero conjuge donata, ſolvat ſportulas, ideſt, vectigalia, pro cognato, quamvis eam pecuniam mutuo eſſet acceptura, pro cognato expenſura. Habetur expreſſe, l. Si mulier, 6. ff. de don. inter vir. & uxor. Cujus rationem reddit Jo: Lup. rubr. de donat. §. 48. n. 1. quia non ex neceſſitate, ſed ex voluntate eſſet expenſura: per l. Marcell. ff. eod. t. Unde infert, eadem ratione valere donationem, ſi ea pecunia faceret expenſas pro conſanguineo ſtudenti, vel pro nuptiis. Idem dicit cum Alex. de Nevo c. fin. n. 8. de donat. inter vir. & uxor. ſi in his caſibus uxor rem donatam conſervaſſet, tantundemque de ſuo patrimonio conſumpſiſſet. Quia non eſt facta locupletior. 4

3. Infertur, valere donationem factam inter conjuges, ad refectionem ædium alterius incenſarum, in tantum, in quantum ædificii extructio poſtulat: habetur expreſſe, l. Quod ſi vir, 15. ff. de donat. inter vir. & uxor. ubi gl. unic. rationem reddit: quia recipiens non efficitur locupletior: cum tantum de ſuo patrimonio amiſerit. 5

4. Infertur, valere donationem inter conjuges, quando alter alteri donat, non ut apud donatarium res donata permaneat, ſed ut alteri donet. Quia recipiens non efficitur locupletior, ut eſt caſus, l. Profectitia, §. ancep. ff. de jure dot Sic Bart. l. Si cum filius, ff. de donat. Tiraq. l. Si unquam, verb. Suſceperit liberos n. 172. C. de revoc. donat. Crot. l. Frater a fratre n. 75. ff. de condict. indeb. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 48. n. 1. fin. & §. 49. n. 1. Baeza de non melio. filiab. c. 19. n. 6. 6

III. Caſus eſt: quando donans non efficitur pauperior, licet donatarius efficiatur ditior. De quo caſu diſp. ſeq. eſt habendus ſermo. At an poſſit conjux lucra conſtante matr. acquirenda, vel acquiſita, renunciare in favorem alterius? dicemus diſp. 5. 7

IV. Caſus eſt: quando donatur in tempus ſoluti matr. nimirum, ut res fiat conjugis donatarii, quando alteruter conjux obierit. Habetur expreſſe l. Sed interim, l. 12. Sed quod dicit, ff. de don. inter vir. & uxor. Quia paria ſunt facere tempore permiſſo, & in idem tempus referre, l. In tempus, ff. de hæred. inſtit. at ſoluto matr. licita eſt donatio: ergo & cum donatio ad id tempus refertur. Et ita docent omnes, ſpecialiter Tiraquel. poſt leges connub. gl. 8. de ſon mary, n. 291. 8

V. Eſt: quando uxor donat viro, gratia honoris, vel dignitatis adipiſcendæ. Idem ſi cauſa honoris, vel dignitatis fiat, vel gratia ludorum authoritate publica præparandorum. Habetur expreſſe, l. quod adipiſcendæ, 41. cum duplici ſeq. ff. de don. inter vir. & uxor. Et docet Jo: Lup. rubr. de donat. §. 54. n. 1. ubi addit, idem eſſe, ſi cauſa ſtudiorum vel licentia, aut doctoratus obtinendi: vel quando pro militia: vel nobilitate acquirenda donatio ſit. 9

VI. Eſt ſi vir conſtante matr. remittat uxori promiſſam dotem, vel partem ejus. Ut colligitur ex l. Si conſtante, 19. C. de don. ante nup. verſ. Firma. Et tradunt, ibi Cynus, & Bald. Lud. de Roma, quem refert, & ſequitur Præpoſ. c. fi. n. 7. de don. inter vir. & uxor. Angelus Donatio, 3. n. 2. Sylv. Donat. 2. q. 3. Armil. ver. Donat. n. 26. Nav. ſum. c. 17 Hiſp. n. 150. Lat. n. 149. Remiſſio vero alterius debiti non valet inter eos: ut bene docent Sylv. & Nav. ibi, per text. expreſſum, l. Si ſponſus, 5. verſ. Si debitor viri ff. de don. inter vir. & uxor. Si tamen conjux debeat alteri conjugi ad certum terminum, poteſt ante illius termini adventum ſolvere. Quamvis enim eo medio tempore videatur donare, at originalis cauſa eſt debitum. Habetur expreſſe, l. Sed ſi vir ex lana 32. §. Si vir uxori, verſ. Quod vir uxori, ff. de don. inter vir. & uxor. Et docet Suarez, l. Quoniam in prioribus, in evidentialibus n. 7. C. de inoffic. teſt. Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 66. verſ. Septimus eſt, Duennas reg. 221. fallentia 16. Barb. l. 2. p. 2. in princ. n. 1. ff. ſol. matr. Quod ſi opponas, reſtitutionem dotis factam uxori conſtante matr. continere in ſe quamdam donationem prohibitam inter conjuges: ut cum multis authoribus colligit Barboſa eod. n. 1. ex l. unic. C. ſi dos conſtante matr. & auth. nuptis, §. Docet collat. 4. cum tamen dos debita ſit, ac ſolvenda ſoluto matr. ergo donatio reſultans ex ſolutione ante diem prohibita eſt inter conjuges. Reſpondet bene Barboſ. ibid. num. 2. diſparem eſſe rationem; Quia quod debetur in diem, vere debitum eſt attento præſenti ſtatu, leg. In diem, ff. de condic. indeb. Quare ex ſolutione illius anticipata, nulla reſultat donatio 10

natio prohibita: cum hæc donatio ſolam reſpiciat executionem anticipatam. Ut explicat *Peralta l.3.§.fin. n.71. ff. de hær. inſt.* Dos autem non debetur ſimpliciter, ſed ſub conditione, ſi ſolvatur matr. juxta notata *l.Si conſtante, §.1.ff. ſolut. matr.* Quare attento præſenti ſtatu reſtituitur dos, quæ erat omnino indebita, nondum impleta conditione ſoluti matr. *l. Sub conditione, ff. de condict. indeb.* & hac ratione videtur reſultare prohibita donatio inter conjuges.

11 VII. Eſt: ſi vir uſuras dotis non ſolutæ, de quarum ſolutione conventum erat, remittat, valet donatio. Habetur *l. Vir uſuras 55. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Et docet *Duennas reg. 221. limit.*

12 VIII. Eſt: ſi vir donet uxori quid annuum ad alimenta, valet enim, modo donatio minime excedat fructus dotis. Habetur, *l.ex annuo 16.ff.de donat. inter vir. & uxor.* & docent *Sylv.Armil.Nav. allegati n.10.Tabiena, Donatio, 3.q.2.n.3. Lud. Lop. l.2. de contract. c.47. caſu 8. Barb.* multos referens, *l. Quæ dotis, 34.n.66. & 67.ff. ſol. matr.* Et addit *n. 65.* non revocari quod ſupereſt ad alimenta, niſi nimis immodicum, & exceſſivum ſi attentis fructibus dotis: ut exponit *Fulgoſ.d.l.Ex annuo. Et idem Barb. n.67.* dicit hoc intelligendum eſſe, quando illud annuum eſt traditum, ſi enim tantum promiſſum ſit, non ſtatim valet, ſed morte viri confirmatur, inſtar ceterarum donationum: & licet illæ minime confirmentur morte, quando tantum promiſſæ ſunt, nec traditio ſecuta eſt: (ut dicemus hoc 6.l.d.14.n.6.) At ſpeciale eſt in hoc caſu. Quia non eſt mera donatio, ſed alimentorum loco ſuccedit.

13 IX. Eſt: ſi conjuges exilii cauſa ſibi donent: valet enim donatio. Habetur expreſſe. *l. Inter virum, 44. ff. de donat. inter vir. & uxor. ubi gloſſ. initio,* ſic explicat quando vir expectaret ſe in exilium mittendum, valeret donatio, ut exilio confirmaretur.

14 X. Eſt: ſi alteruter conjux uſus fuerit ſervis, animalibus vel veſtibus alterutrius, vel in ædibus ejus gratis habitaverit: valet donatio. Habetur expreſſe *l.Si vir uxori, 19.ff.de donat. inter vir. & uxor.* Et docet *Duennas reg.221. limitat.13.*

15 XI. Ultimum eſt, quando eſt donatio remuneratoria. De quo caſu late agendum eſt diſp. *6.*

DISPUTATIO IV.

An valeat donatio inter conjuges, ex qua donans non efficitur pauperior, licet donatarius efficiatur ditior?

SUMMARIUM.

Valet talis donatio, n.1. Et quid, ſi legantem aut donantem cauſa mortis conjugi, roget ille ut non ſibi, ſed ſuo conjugi leget, aut donet, n.2. Et ibi enodantur, l.Hæc ratio, fine, & l.Idemque, ff.de donat. inter vir. & uxor. & jubere an importet neceſſitatem, & habere actionem ad rem. Et an in donatione cauſa mortis transferatur ſtatim dominium. Et quid, ſi mortuo teſtatore renuncietur talis hæreditas, aut legatum, ut acquiratur conjugi alteri.

Valet, quando conjux donat conjugi rem alienam, n.3.

Valet, ſi conjux donet conjugi quæ erat prodige conſumpturus, 4.

An ſit idem, ſi conjux donet rem alterius conjugis, eam dominationem permittentis, 5.

Valet ſi conjux donet conjugi fructus ex predio percipiendos, 6.

Enodatur motus proprius Clem.8. prohibens religioſis munera dare; an illa adverſatur aut voto paupertatis, ſi volentem donare religioſo, roget ille, ut det cuidam: vel peccet talis religioſus, n.7. Et ibi, quid, ſi conventus repudiet legitimam monachi.

Enodantur, l.Qui autem, ff.quæ in frau. cred. & reg. Non fraudantur, ff.de reg.jur. qualiter poſſit debitor repudiare hæreditatem, vel legatum, in fraudem creditorum, n.8. Et ibi, quid ſi bona debitoris ſint hypothecata, vel ſecuta ſit condemnatio, etiam in fiſci favorem: & quid, in filiofamilias qui eſt hæres ſuus.

An hæc repudiatio poſſit fieri in foro conſcientiæ, vel hic debitor repudians teneatur ad lucrum ceſſans, & damnum emergens: & cauſidici ipſi conſulentes, n.9. Et ibi, an ſuccedens in ea hæreditate tutus ſit in foro conſcientiæ?

Solvuntur argumenta, n. 10. Et ibi, an uxor poſſit tuta conſcientia renunciare lucris conſtante matrimonio acquiſitis, ne cogatur partem debitorum ſolvere.

Explicantur cap. Cum exceptione, 12.q.2. & c. Cum Apoſtolica, de his quæ fiunt a prælato, an poſſit prælatus hæreditatem Eccleſiæ, vel monaſterio delatam, repudiare, abſque ſolemnitate requiſita in alienatione rerum Eccleſiæ; nu. 11. Et an idem ſit in legato, n.12. Et explicatur l. Magis puto, §. Si pupillus, ff de reb. eod.

Solus prælatus non implens conditionem ſub qua aliquid legatur Eccleſiæ, an ipſi præjudicet, ut illud amittat. Et recipiens penſionem ab eo quem privare poterat ob eam non ſolutam, an præjudicet Eccleſiæ, ut amplius privare nequeat, 13.

Prælatus abſque juſta cauſa ſic repudians, peccat, non tamen incurrit excommunicationem contra alienantes res Eccleſiæ abſque debita ſolemnitate, 14.

Tenetur talis prelatus damnum reſarcire, & an Eccleſię poſſit reſtitui, 15.

An omnia dicta vera ſint, non tantum quando eſt renunciatio hæreditatis, vel legati, ſed etiam ceſſio in alterius favorem: refertur opinio affirmans, n.16. Et contraria verior, n.17.

Et explicatur l. fin. §. C. de bonis, quæ liber. quando momentanea ſint in conſideratione.

Enodatur l. 26. Tauri, an remiſſio uſusfructus facta per patrem, filio, cenſeatur melioratio, vel poſſit revocari tanquam inofficioſa, n. 18. valet licentia teſtandi conceſſa per patrem filio, in prejudicium legitimę ad patrem pertinentis & aliorum filiorum. Et an deſideretur juramentum. Et qualiter poſſit filius tali licentia obtenta diſponere de illis bonis, vel majoratum inſtituere, 19.

An mater dum nupta eſt, poſſit hanc facultatem filio concedere, abſque viri licentia, 20.

An licentia hęc teſtandi, ſemel conceſſa, poſſit revocari; 21.

Sit concluſio: valida eſt donatio inter conjuges, ex qua donans non redditur pauperior, licet recipiens fiat ditior. Quia tunc ceſſat prohibitionis ratio, ne mutuo amore ſe conjuges ſpolient: conjux enim donans nulla re ſpoliatur cum pauperior non fiat. Hęc prob. a contrario ſenſu, ex *c.fin.de donat.inter vir. & uxor.* ibi, *donatio quæ conſtante matr. inter conjuges dicitur eſſe facta (ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur) firmitatem non habet.* Et habetur expreſſe, *l. Si ſponſus, 5.ff. de donat. inter vir. & ux. in fi.* ubi exempla cum ſuis rationibus ſubduntur. Ut ſi maritus hæres inſtitutus repudiet hæreditatem, vel legatum ut ſuccedat uxori: quæ ſuccedit, vel quia ſubſtituta eſt, vel quia futura erat hæres ab inteſtato. Quia pauperior non fit, qui non acquirit, ſed qui de patrim. ſuo aliquid deponit. Similiter ſi rogatus hæreditatem uxori reſtituere: ſine deductione quartæ Trebellianicæ reſtituat. Quia magis videtur functus maritus pleniori officio præſtandæ fidei, quam donaſſe. Magis enim fidem exſolvit in hoc caſu, quam donat: nec de ſuo putat proficiſci, quod de alieno plenius reſtituit, voluntatem defuncti ſecutus. Idem diſponitur *l.5. tit.11. p.4.* Limitationem hujus deciſionis vide num. ſequenti fine. 1

Hinc infertur 1. valere, ſi legantem, aut hæreditatem relinquentem marito, roget ipſe ut uxori leget, aut relinquat. 2
Habetur. *l.Sed ſi vir, 32.§. ſi vir, ff.de donat. inter vir. & uxor. verſ. Quod legaturus,* ibi, *quod legaturus mihi aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus a me, uxori meæ relinquere: & non videbitur ea eſſe donatio. Quia nihil ex bonis meis diminuitur.* Sed fortiter urget contra hoc *l. Hęc ratio 3. fin. de donat. inter vir. & uxor.* ibi, *ſi donaturum mihi juſſero uxori meæ dare, nullius eſſe momenti Julianus ſcribit. Perinde enim habendum atque ſi ego acceptam rem meam factam uxori meę dediſſem.* Et *l. Idemque 4.ff. eod. tit.* ibi, *Idemque eſt & ſi mortis cauſa traditum mihi, juſſerim uxori meę tradere, gl. ea l.4. verb. Habere, Jo: Lup. rubr. de donat. §.47. n.22. Angel. Donatio 3. n.1. Sylv. Donatio, 2.q.2. Tab. Donatio 3.q.1.n.2.* Sic conciliant. Valet legatum quod vir rogat dari uxori: quia legatarius non fit legati dominus, uſque ad mortem legantis: non autem donatio cauſa mortis. Quia ſtatim transfertur dominium talis donationis in donatarium, licet revocabiliter, traditione ſtatim ſecuta *l. Senatus, in princ. & l. Si mortis cauſa res donata, ff. de donat. cauſ. mort.* Ubi docet *Cov. rubr. de teſtam. 3 p. n.16. Aceſta c. Si pater, 1. p. verb. Legavit, n.5. de teſt. in 6. Angulo* multos referens, *de melior. l.1. gl.1. n.6.* Quamvis *Sylv. prox. cit.* minus bene dicat abſque traditione transferri dominium. Sed hæc ſolutio quamvis in ſe vera ſit, non exhaurit difficultatem. Quia idem diſponitur illa *l.3. fin. de donat. inter vivos*, nec videtur textus loqui de donatione jam facta, ſed de facienda: ait enim, *ſi donaturum mihi juſſero.* Quare dicendum eſt in utroque textu eſſe unum actum occultatum, quo donatarius tacite acceptat donationem, & iterum donat alteri conjugi. Et ita *Odofred. l.1. fi. ff. eo. tit.* ubi illam l.3. explicuit, & *Bald. ea. l.3. fi.* explicantes ea verba, dicunt illa procedere, quando eſt unus actus occultatus. Et *Cov. 4 decr. 2 p. c.7. §.1. n.11. Matienzo l.5. recop. t.9. l.9. gl.1. n.4. Connanus, l.8. comment juris, c.11. n.7. fi. Caldas l. Si curatorem, verb. Leſis, n.117. ver.2. C. de integ. reſtit.* ſic explicant eas leges, aliud (inquiunt) eſt repudiare legatum, vel rem delatam ſibi, aliud jubere donationem ei paratam, & oblatam uxori fieri: Hoc enim caſu ipſam donationem non repudiat vir, ſed recipit, ac demum uxori fieri jubet. Eodem modo explicat *Ant. Gom. 2. var. c.4. n. 24.* ubi ait, uxorem in eo caſu fuiſſe vocatam, & admiſſam ex mariti diſpoſitione. Quia expreſſe renunciavit donationi, onerans donantem ut daret uxori. Idque clare colligitur ex verbis illarum legum *l.3. fi.* ibi, *ſi donaturum mihi, juſſero uxori meæ dare: & l.4.* ibi *idemque eſt, & ſi mortis cauſa traditurum mihi juſſerim uxori meæ tradere.* Nam verbum, Jubere, importat neceſſitatem, ut optime *Alberic. in ſuo d. verb. Jubere,* & poteſt videri in *Rebuf. l.164. verb. Jubere, de verb. ſign.* ubi omnes acceptiones quas hujus verbi refert, important jubentem habere actionem, neceſſitatemque imponere. Et conſtat ex *l.1. ff. quod juſſu,* ibi, *nam quodammodo cum eo contrahitur, qui jubet.* Et ita textus *d. l. Sed ſi vir, verſ. Quod legaturus,* ubi legatarius non habet actionem aliquam ante mortem teſtatoris, utitur verb. Rogo, & dicit valere, ibi, *quod legaturus mihi aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus a me uxori meæ relinquere.* Quare in omnibus his caſibus dicendum eſt, poſſe conjugem, hęreditatem, vel legatum, vel donationem ſibi fieri paratam, ante acceptationem juriſque alicujus acquiſitionem rogare ut alteri conjugi fiant, ſecus poſt acceptationem, & jus acquiſitum. Quia priori caſu nihil ex propriis bonis deperdit, ſed ſolum non acquirit: in poſteriori autem rem acquiſitam amittit. Nec audiendus eſt *Sylv. Donatio, 2. q. 2.* ubi limitat ut poſſit uxor repudiare hæreditatem

vel

vel legatum ut ſuccedat vir, vel e contra quando teſtator adhuc ſuperſtes eſt, & ita jus non eſt acquiſitum. Dicendum enim eſt poſſe etiam poſt teſtatoris obitum ante acceptationem, quia ante illam non acquiritur hæreditatis dominium, & nec legati, niſi revocabiliter & imperfecte, ut conſtabit ex iis quæ dicemus, n. 8.

3 2. Infertur, valere donationem, ſi conjux conjugi rem alienam donet, ad hunc effectum ut recipiens poſſit uſucapere. Quia donans non efficitur pauperior. Habetur expreſſe, *l. Sed & ſi conſtante, ff. de donat. inter vir. & uxor. & l.5. t.11. p.4.* Sed hic caſu non caret ſcrupulo. Quia videtur conjugem donantem effici pauperiorem, cum teneatur reſtituere. Reſpondet bene *Gl. ead. l. Sed & ſi conſtante, verb. Rebus, juncto initio, & fine,* licet ſubobſcure, intelligi hunc caſum, quando conjux donans, bona fide poſſidebat: putans rem eſſe ſuam; tunc enim ſi det alteri conjugi, qui rem præſcribat, nil tenetur donans reſtituere: cum bona fide poſſederit, nec factus ſit locupletior. Quod ſi replices, conjugem donantem poſſe præſcribere, & ita hac ſpe fruſtrari. Licet aliter reſpondeat *gl.* melius ſatisfit dicendo, id non eſſe ex proprio patrimonio deperdere; ſed non acquirere. Poteſt etiam intelligi hic caſus, quando conjux donavit rem alienam alteri conjugi, de licentia domini concedentis liberam donandi facultatem. Sic *Ang. Donatio, 3. n.2. Sylv. Donatio, 2. q.1. Tabiena, Donatio, 3.q.2.n.3.*

4 3. Infertur, ſi vir erat prodigus, & prodige conſumenda donet uxori, vel e contra, valere donationem. Quia licet conjux recipiens fiat ditior, at donans non efficitur pauperior: cum inutiliter eſſet expenſurus. Sic *cum Baldo* docet *Jo: Lup. rubr. de donat. §.47. fin.* quamvis dubitet *Greg. Lop. l.4. verb. Son defendidas, tit. 1. p. 4.*

5 4. Infertur, ſi vir donet rem uxori, vel e contra, ea permittente, non tenere donationem. Quia uxor fit pauperior, & vir donans locupletior. Cum ex ea donatione acquirat ſibi naturalem obligationem, qua donatarius tenetur ad antidora. Sic *Bart. l.2. §.1. ff. de donat. Jo: Lup. rubr. de donat. §.47. n. 23.* ubi limitat cum *Bart. l.1. in fin. ff. rerum amot.* & ſequitur *Sylv. Donat. 2.q.1.* niſi donaret cauſæ piæ. Quia tunc ceſſat ratio obligationis ad antidora.

6 5. Infertur, ſi conjux conjugi donet fructus ex prędio percipiendos, valere. Quia donans non fit pauperior, nam potius ex induſtria, quam ex re ipſa fructus ſui percipiuntur: juxta *l. Fructus percipiendo, ff. de uſuris.* Sic cum aliis quos refert *Pinel. l.2. p.2. c.4. n.5. C. de reſcind. vendit. Jo: Garzia de expenſis, c.23. n. 21.* Quamvis *gl. l. de fructibus, 18. fine, ff. de donat. inter vir. & uxor.* oppoſitum ſentiat.

7 6. Infertur, intellectus ad motum proprium Clementina 8. quo prohibuit religioſis, ne largirentur munera. An illi conſtitutioni, vel voto paupertatis adverſetur, ſi religioſus abſque ſui ſuperioris licentia, volentem ſibi aliud donare, roget ut donet conſanguineo: quibus precibus ductus donet illi conſanguineo? Videtur enim adverſari 1. quia eo motu proprio, *§. Id autem fin.* dicitur ſic, *prohibemus religioſis miſſiones munerum, non ſolum per ſe, verum etiam per alios, tam directe, quam indirecte,* at hoc videtur indirecte donare: perinde enim eſt, ac ſi religioſus acceptaret, ac mitteret conſanguineo, quod enim mei cauſa fit, meum quodam modo fit: *l. Prętor ait, ff. de edendo,* & conſequenter adverſabitur etiam voto paupertatis; cum religioſus diſponat abſque ſuperioris ſui licentia. Et confi. quia ſi hoc non ſit dare indirecte, minime apparet quid per indirectam donationem intelligatur. 2. quia *l.2. ff. de calumniat.* ſic dicitur, *nec refert an ipſe pecuniam acceperit an alii juſſerit dari.* Ultimo quia juxta communem doctrinam, ut dicemus hoc l.6. d.26. n. 11. donata viro a conſanguineis uxoris, cenſentur in dubio donata uxori, & ita ad ipſam ſoluto matr. pertinent: & hoc non alia ratione, niſi quia non contemplatione viri, ſed ipſius uxoris donata ſunt. Cum ergo in hoc caſu non donaretur conſanguineo religioſi: niſi ipſius religioſi contemplatione, videtur ipſi religioſo donatum & acquiſitum: & per ipſum, datum conſanguineo: & ita erit contra motum proprium, & votum paupertatis. His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, nec adverſari motui proprio, nec voto paupertatis, quando religioſus profitetur ſe nolle acceptare, ut ſi dicat ſic: Ea re non indigeo, ſi tibi placuerit, gratum mihi facies, ſi dederis meo conſanguineo. Secus quando religioſus expreſſe, vel tacite acceptaret, & peteret dari conſanguineo. Ut ſi offerenti donum gratias agat, petatque ab eo ut tradat conſanguineo: quia in priori caſu nulla eſt acceptatio religioſi, & ita nihil ipſe donat ſed tantum intercedit, ut alius donet. In poſteriori autem, religioſus acceptat, mittitque per manum donantis, conſanguineo. Pręterea quia motus proprius, & votum paupertatis tantum obligant religioſum, ne ſibi acquiſita alienet abſque debita licentia, non vero ut acquirat: at in hoc caſu nihil ſibi acquiſitum alienat, acquirere enim non poteſt abſque acceptatione, & tantum abeſt ut acceptet, ut potius proteſtetur contrarium, & hoc non ficte, ſed vero animo nihil acquirendi: ergo. Deinde, quia ſimiliter eſt prohibita donatio inter virum, & uxorem, & tamen (ut diximus n.2.) non eſt donatio, quando vir volentem ſibi donare rogat, ut det uxori, niſi ſit aliquis actus occultatus, quo tacite acceptans jubeat uxori tradi: ergo ſimiliter non erit donatio adverſus illum motum proprium, aut votum, quando religioſus nullo modo acceptare vult, rogans ut donatio fiat conſanguineo. Sic tenet *Soſa in libell.* quo expoſuit d. motum proprium Clem. VIII. *n.73.* ubi tamen addit adverſari motui proprio, ſi conventus abſque alia juſta cauſa repudiet legitimam monachi jam delatam. At hoc tantum eſt verum, quando hereditatem illam acceptarat monaſterium, vel illi cederet in alicujus favorem: includitur enim ibi tacita acceptatio, (ut dicemus, n 17.) Quia ante acceptationem licitam, vel expreſſam non acquiritur hęreditas illa monaſterio, & ita eam repudiare non eſt alienare nec donare, (ut probavimus n.11. & 12.) quare nec erit contra motum proprium, nec contra votum paupertatis. Peccabit tamen contra charitatem, ſi abſque cauſa juſta religioſus privatus rem ſibi donatam nollet acceptare ſed rogaret alii dari. Quia impedit bonum monaſterii in cujus utilitatem donatio illa cedit. Sicut precibus abſque juſta cauſa impedire bonum proximi, cui aliquis legare volebat, ajunt communiter DD. peccatum eſſe caritati adverſum: ſecus ſi illa res nullo modo in bonum monaſterii cedere debebat. Nec obſtant arg. contraria. Non primum quia id non eſt donare cum religioſus nihil revera acquirat. Et illa *l. Prętor ait,* non dicit abſolute, quod in gratiam mei datur, meum eſſe: ſed quodammodo eſſe meum, *ubi Gl. verb. Meum,* inquit, non quod ſit meum, vel commune, ſed quia utilitas mea ibi conſiſtit. Ad confir. dic eſſe donationem indirectam, quando eſt tacita acceptatio, & juſſus ut donans tradat alteri: vel quando eſt tacita donatio ſub mutui ſpecie, & nomine: ut ſi religioſus mutuet nummos animo non recuperandi: ut bene ait *Soſa d.n.73.* Vel dic ea verba directe nec indirecte apponi, ut religioſi intelligant quam exacte ſibi munerum largitio interdicatur. Ut cum Hiſpane dicimus, *ni os paſe por penſamiento hazar eſo.* Ad 2. dic includi ibi tacitam acceptationem: cum juſſio ut alteri detur, importet rem prius jubenti eſſe acquiſitam, ut explicuimus n 2. Ad ultimum, dic eam doctrinam eſſe veram in dubio, ubi non conſtat de intentione donantis, & donatarii. At in noſtro caſu manifeſta eſt intentio donantis, ut non acquiratur religioſo: cum ipſe repudiet, & acceptare nolit.

VII. Infertur intellectus ad *l. Qui autem, 6. ff. quę in fraud. credit. v. Proinde,* ibi, *proinde & qui repudiavit hæreditatem, vel legitimam, vel honorariam, vel teſtamentariam, non eſt in ea cauſa, ut huic editio locum faciat. Noluit enim acquirere, non ſuum proprium patrimonium diminuere.* Et *paulo inferius, v. Sed & illud,* ibi, *ſed & illud probandum eſt ſi legatum repudiavit: ceſſare hoc edictum quod Julianus quoque ſcribit.* Et *reg. Non fraudantur, 177. ff. de reg. jur.* ibi, *non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore, ſed cum quid de bonis diminuitur.* Hujus enim deciſionis ea eſt ratio. Quia talis debitor nil alienat, cum nil acquiſierit: jus enim hæreditatem adeundi, antequam ea acceptetur, non eſt in bonis noſtris, *l. Pretia rerum, ff. ad leg. Falc.* ſed tantum deſinit acquirere. Et quamvis legatum conſiſtens in ſpecie tranſeat a morte teſtatoris in legatarii dominium, nec ad id expectetur aditio hæreditatis, *l. A Tertio, ff. de fur l.1. §. Sed utrum, ff. Si quid in fraudem patroni, & l.35. t.9. p.6.* merito idem diſponitur *ea l. Qui autem, v. Sed & illud,* in legato repudiato per debitorem. Quod verum habet etiam poſtquam ceſſit dies legati. Ut bene docent *Molinęus in conſuet. Pariſ. t.1. §.1. gl.3. q 1. n.13. Cov. 4. decr. 2. p. c.7. § 1. n. 12.* Cujus deciſionis ea eſt ratio quia quamvis legatarius factus ſit jam dominus illius legati, & ita videatur ea repudiatio, diminutio proprii patrimonii, & alienatio. Revera tamen talis non eſt, quia acquiritur dominium legati imperfecte; & revocabiliter ante acceptationem, & ſub tacita conditione, niſi repudietur, unde cum poſtea repudiatur, fingitur non eſſe quęſitum, dominium: ut bene docent *gl. d. l. Qui autem, verb. Legatum, & ibi Bart. paulo poſt princ. Jaſon inſt. de act. §. Item ſi quid, n.122.* Et fuit ante reſponſio *Juriſconſulti, l.1. verſ. Utrum autem, ff. ſi quid in frau. p.* ibi, *quamvis enim legatum retro noſtrum ſit niſi repudietur attamen cum repudiatur, retro noſtrum non fuiſſe, palam eſt.* Aliqui temperant hanc deciſionem, ut poſſit debitor repudiare hæreditatem, vel legatum, quando mere perſonalis debitor eſt, ſecus quando bona ejus ſunt hypothecata. Sic *Anch. & Socinus quos refert Tello, l.4. Tauri, n.55. Ripa* vero dubius manet, ut refert ibi *n.56.* Sed merito hanc limitationem rejicit *Tello ibi a n. 57.* & minime *n.60. & Bald.* quam refert, & ſequitur *Joan. Lup. rubr. de donatione §. 47. nu. 9. Vincent. de Franchis in ſua deciſ. 101.* lateque probat *Tello ibi 2.* alii limitant: niſi repudiatio fiat ſecuta condemnatione ob delictum ad ſummam aliquam pecuniariam: non enim poteſt fieri in fraudem hujus condemnationis repudiatio hæreditatis aut legati. Sic videtur ſentire *Greg. Lop. l.12. ver. Enganoſamente, t.10. p.5.* & in quadam lite pronunciatum fuiſſe in ſupremo Regis conſilio affirmat. Sed contrarium tenendum eſt. Quia potiori privilegio gaudent creditores habentes hypothecas, in quorum præjudicium poteſt debitor repudiare. Nam ex delicto ſola obligatio perſonalis abſque hypotheca aliqua conſurgit. Sic *Tello ea. l.4. n. 60. fi. & ſeq.* Nec obſtat ſent. illa ſupremi ſenatus. Quia ea minime legem efficit. Imo nec ſemper ſent. Principis, teſte *Cov. 4 decr. 2. p. c.7. §.4 n.15.* Quia magiſtratus electi per Principem ad jus reddendum, non poſſunt inducere ſtylum contra jus: ut bene advertit *Greg. Lop. l. 9. verb. Como a los ricos, tit. 28. p. 3.* alii temperant, niſi facta ſit condemnatio fiſco applicanda: per *l. In fraudem ff. de jur. fiſci.* Sed oppoſitum eſt verius. Nam ſi hæreditas poteſt repudiari in fraudem creditorum: ergo a fortiori in fraudem fiſci. Nam cauſa creditorum potior eſt, tractant enim de damno vitando, quam fiſci, qui quoad pœnam tractat de lucro captando: & creditor privatus potioris eſt conditionis, quam fiſcus pœnam exigens, *l.1. C de pœnis fiſc. cred. præfe. l.10.* Et ita nullo in hac re privilegio gaudet fiſcus: nam ante ſent. nulla illi hypotheca conceditur. 8

Quia tunc non eſt creditor, *l. Si qua pena, & l. Aliud, §. Inter multa, ff. de verb. ſign.* Poſt condemnationem vero reſpectu aliorum creditorum ex contractu, nullam habet hypotecam, *l. Quod placuit ff. de jure fiſc.* eam tamen habet reſpectu aliorum creditorum ex delicto, ipſiſque præfertur: ut bene docet *Cov. variar. c. 16. n. 8.* Præterea probatur ex *l. Cum quidam, ff. de jure fiſci*, ibi, *reſcriptum eſt non videri in fraudem fiſci factum acquiſitum non eſt.* Sic tenent *Alberic. tr. ſtatutor. l. 3. q. 24. Decius, conſ. 445. a n. 65. Nelus tract. bannitorum, 1. p. ſecundi temporis, p. 30. Barbarius conſ. 22. a n. 9. l. 3. Ruinus conſ. 23. l. 5. Vincentius de Franchis deciſ. Neap.* 101. *nu.* 5. *Canchus repet. l. Hæredes mei, §. Cum ita, 4 p. n. 88. ff. de Trebel. Tello l. 4. Tauri, a n. 62.* & precipue *n. 64.* ubi bene ſatisfacit, *l. in fraudem, ff. de jure fiſci*, contrarium probanti: *Meres de major. 4. p. q. 23. n. 45 Azebedo l. 4. recop. t. 10. l. 3. n. 140. Avendano, l. 4. Tauri, gloſſ. 7. n. 6.* Tamdem alii limitant, niſi in filio familias, qui eſt hæres ſuus, hic enim non poterit repudiare hæreditatem in fraudem creditorum. Quia hæc repudiatio non eſt circa bona quærenda, ſed jam quæſita: cum hæredibus ſuis adhuc ignorantibus ſtatim mortuo patre, ipſo jure acquiratur hæreditas, *l. Nolentibus, & l. Si fratris, ibi ſtatim, C. de jure delib. l. 1 §. Qui ſunt in poteſtate, ff. ſi quis omiſſa cauſ. & l. In ſuis, ff. de ſuis, & legit. hæred.* Sic *Anchar. conſ.* 101. Sed oppoſitum eſt dicendum: quia illa acquiſitio eſt revocabilis, & quaſi ſub conditione, niſi hæres repudiare velit: quæ repudiatio retrotrahitur ſicut proxime de legato diximus. Sic docent *Alberic. l. 3. ſtatutorum, q. 24. Alex. Paul.* quos referunt & ſequuntur *Ant. Gom. 1. var. c. 9. n. 22. & l. 50. Tauri, nu. 76. Tello l. 4. Tauri, n. 64 Matienzo l. 5. recop. tit. 9. l. 5. gl. 9. fin. Gut. de pactis, in princ. n. 24 Cervantes l. 6. Tauri, n. 85. Molina to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 170. fol.* 1078.

9 Hucuſque diximus quod ſervatur in foro externo circa repudiationem hæreditatis, vel legati in fraudem creditorum. Dubium autem eſt: an idem procedat in foro conſcientiæ, ita ut liceat debitori, id efficere, quando alias non eſt creditoribus ſolvendo, & hæreditas eſt lucroſa, eique utilis, & proinde illam acceptaret, niſi debitis aſtrictus eſſet? Quæ quæſtio ſatis utilis eſt, & neceſſaria: contingit enim debitis aſtrictum, vel ob delicta, vel ob contractus, vel quia fidejuſſit, ne creditores capiant hæreditatem, uti hoc repudiationis remedio, ut ita in ea ſuccedant filii, qui alias ſucceſſuri erant, fraudenturque creditores. Conſtat talem repudiationem in utroque foro validam eſſe, & proinde ſucceſſorem tota conſcientia poſſidere. Quia hæc non eſt alienatio, vel donatio, ut poſſit revocari tamquam facta in creditorum fraudem, ſed tantum eſt non acquiſitio. Et hoc eſt, quod proprie definit *l. Qui autem, ff. quæ in fraud. credit. & reg. Non fraudentur, ff. de reg. jur.* & quamvis hic repudians, contra juſtitiam delinqueret, ac ſucceſſor in hæreditate, minime particeps fuit illius injuſtitiæ: cum nihil conſuluerit. Et (ut optime tradit *Cov. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 1. n. 12.*) ſuccedens in ea hæreditate, nihil a repudiante capit: ſolum enim teſte *Molin. in conſuet. Pariſ. t. 1. §. 1. gl. 3. q. 1. n. 15.* obſtaculum tollit, quo alter a ſucceſſione impediebatur, quo ablato ſuccedit ille, qui alias ſucceſſurus erat. Difficultas igitur eſt, an hic repudians, eo legum beneficio utens, peccet? Et videtur non peccare. 1. quia idem in utroque foro ſentiendum eſt, quando ſent. judicis non innititur falſæ præſumptioni, nec eſt in delicti pœnam: (ut diximus, l. 1. d. 5. n. 20.) ſed in foro externo hic debitor repudians hæreditatem abſolvetur, nec ſent. illa innititur falſæ præſumptioni, aut eſt in delicti pœnam: ergo idem dicendum eſt in foro conſcientiæ. Et confir. quia ſi ante repudiationem conveniatur, a creditoribus, ut eum cogat judex non repudiare, abſolvetur, nec ad id coget judex: ergo ſimiliter in foro externo. 2. quia *l. 60. Tauri, hodie l. 9. t. 9. l. 5. novæ recop.* decernitur poſſe mulierem medietati lucrorum conſtante matr. acquiſitorum renunciare, ne partem æris alieni per maritum contracti, ſolvere aſtringatur, quæ tamen non renuncians ſolvere tenebatur: ergo ſimiliter debitori fas erit renunciare hæreditati, ut a debitis ſolvendis eximatur. 3. quia multi DD. graviſſimique abſolute docent poſſe debitorem renunciare hæreditati, ne ſolvat debita: *ut Jo: Lup. rubr. de donat. §. 47. n. 9.* Omnes ſcribentes, *d. l. Qui autem, Jaſon inſt. de act. §. Item ſi quis, n. 21. Molin. in conſuet. Pariſ. t. 1. §. 1. gl. 3. q. 1. n. 13. Socinus junior conſ. 124. a n. 3. Vinc. de Franchis dec. Neap. 101. Cov. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 1. n. 12. Ant. Gom. 2. var c. 14. n. 14. Tello l. 4. Tauri, a n. 57. Gut de pact. in princ. n. 20. & 24. Azebedo l. 5. recop. t. 3. l. 1. n 5. Cervantes l. 6. Tauri, n. 75.* At ſi eſſet peccatum, non ita abſolvere dicentes, cum id poſſimus, quod jure poſſumus. Imo *Ant. Gom.* explicans leges hoc permittentes, *l. 52. Tauri, n. 66. verſ. Quintus eſt, & 2. var. c. 4. n. 24. verſ. Quinto infero*, ait licite debitorem repudiare hæreditatem, vel legatum in fraudem creditorum. Et videtur facere pro hac ſent. quod docent *Palud. 4. d. 38. q. 3. ar. 2. n. 15. & Angel. verb. Religioſus n. 7.* ubi dicunt religioſum profitentem minime teneri in religione artem exercere, ut debita ſolvat eo quod per profeſſionem bonis ceſſerit: nec cedentem bonis in ſæculo, teneri eam artem exercere. Et innituntur fundamento, quod aſſumit *D. Th. 2. 2. q. ult. a. 6. ad 3.* nimirum, perſonam liberam non eſſe alligatam pro ære alieno ſolvendo, ſed ejus bona: ergo hic debitor modo non abſcondat bona, quæ poſſidet, immunis erit a culpa, licet minime operam det ad acquirendum, acceptando hæreditatem. His tamen non obſtantibus, credo hunc repudiantem peccare mortaliter contra juſtitiam. Prob. nam eadem lege qua aliquis tenetur ad finem, tenetur adhibere media neceſſaria ad illum finem comparandum, quando media ſunt facilia: v. g. eadem lege qua teneor audire ſacrum, teneor confluere in templum, quando non excuſor legitime, ubi ſacrum celebratur. Et eadem lege, qua teneor ad votum religionis implendum, teneor adhibere media, ut petere, & adire ea loca in quibus eſt ſpes probabilis me admittendum: ergo eadem lege juſtitiæ qua debitor tenetur ſolvere debita, tenetur adhibere media, ut ſolvat, quando media non ſunt valde difficilia: at in hoc non potente alias ſolvere, eſt medium neceſſarium, & facillimum acceptare eam hæreditatem, quando eſt lucroſa, & expediens: ergo contra juſtitiæ legem delinquit non acceptans. Et confirm. ſi quis in die feſto careret pallio, & ſic excuſaretur a ſacro audiendo, ſi illi accommodaretur pallium, quis dubitat quin teneretur acceptare, ut audiret ſacrum, & ejus præcepti fractorem eſſe, ſi abſque legitima cauſa ſolum ne audiret ſacrum, nollet acceptare? Ergo ſimiliter in noſtro caſu. 2. quia filius habens maxima egeſtate preſſos parentes, nec potentes alimenta quærere, ſi nollet artem qua poſſet lucrari ad eis alimenta exhibenda, peccaret utique contra legem pietatis, qua tenetur parentes alere carentes alimentis, nec potentes quærere: peccaretque mortaliter ſi poſſet alimenta acquirere, acceptando hæreditatem ſibi relictam, ſi abſque cauſa ſufficienter excuſante repudiaret: eadem enim lex quæ obligat alere parentes, vel filios, obligat ad curandum acquirere alimenta mediis convenientibus: ergo a fortiori peccabit debitor contra legem juſtitiæ, qua tenetur ſolvere debita, ſi non adhibeat media convenientia, & nolit potens facile, ut acceptando hæreditatem, acquirere ut ſolvat. Et confirm., quia ſtrictiori jure tenetur debitor ſolvere, quam filius alere patrem, illa enim eſt juſtitiæ, & abſoluta obligatio: hæc autem pietatis, & non abſoluta, ſed in ſubſidium, nempe, quando pater eſt inops, nec habet unde ſe alat. Dices, argumenta nil probare: quia quando debitor non habet unde ſolvat, non tenetur lege juſtitiæ ſolvere, cum nemo obligetur ad impoſſibile, & ſic non tenebitur adhibere id medium acceptandi hæreditatem. Sed ſolutio eſt frivola: quia is non eſt abſolute deobligatus a ſolutione debitorum, alias pinguiorem nactus fortunam non teneretur ſolvere, ſed tantum pro tunc excuſatur a ſolutione, quia non habet unde ſolvat. Cum ergo adhuc maneat lege juſtitiæ aſtrictus ad ſolvendum, quam legem facile implere poteſt acceptando hæreditatem, tenebitur ad id: alias ſimiliter diceremus habentem filios preſſos egeſtate non peccare repudiando hæreditatem; quia dum pater eſt pauper, nec habet unde alat filios, excuſatur: ſicut ergo dicimus hunc patrem peccare mortaliter, quia potuit acquirere quo ſuam obligationem impleret, & non implevit, ſimiliter in noſtro caſu dicemus. 3. quia ſi quis videret proximum fame perire, & extremum jam agentem ſpiritum, vel graviter indigentem, & aliquis offerret illi bona quibus poſſet illi indigentiæ ſubvenire, quis negaret hunc mortaliter delinquere contra legem charitatis hunc non acceptando, cum tam facile illi extreme indigenti poſſet ſuccurrere: Ergo a fortiori peccabit non acceptando, acquirendo, cum facile poſſit, ut ſolvat creditoribus, quibus fortiori vinculo, ſcilicet juſtitiæ aſtrictus. 4. quia DD. graviſſimi tamquam manifeſtum ſupponunt aſtrictum debitis, qui novit aliquam artem: nec ei eſt dedecus illam exercere, teneri exercere, ut ſolvat creditoribus: ſicut teneretur ut filios aleret, quibus minori vinculo, quam juſtitiæ obligatus eſt. Hi ſunt, *Metina C. de reſt. q. 3. cauſa 8. §. His non obſtantibus, & §. Ad rationes, Gerſon 2. part. qu. An liceat gravato debitis intrare religionem, alphab. 39 lit. T.* Et ſic forte debet intelligi illud Sapientis, *qui fæneratur mutuum, ſervus eſt fænerantis.* Et *Navarrus cap. Non dicatis, 12. quæſtione prima, num. 3. verſiculo quinto, ſexto, & ad quartum: in operibus novis eſt, cap. Cui portio, duodecima, quæſtione prima, numero octavo, vel ſiculo quinto ſexto, & ad quartum: Angles florib. ſecunda parte, quæſtione de reſtitutione: Quis a reſtitutione ſit lib. articulo ſecundo, dub. 6. diffic. 12. fol. 185. & Navarra libro quarto de reſtitutione, capite quarto, numer. nonageſimo tertio:* diſputans eam quæſtionem: An debitor carens ſolvendi facultate, poſſit ingredi religionem, dicit certam eſſe, ſi brevi, & ſine magno labore poſſit prius creditoribus ſatisfacere, teneri: & *num. 94. & 95.* tantum excuſat eum cui dedecus eſt ſervire, vel artem aliquam exercere, vel ſi dedecus non ſit, difficili labore poterit ſolvere. Imo *Metina ibi, in ſolut. ad 5. Angles ibi*, docent debitis aſtrictum teneri in religione artem aliquam exercere, ut ſolvat: ergo debitor, qui ſolvendo non eſt, reus eſt injuſtitiæ, ſi non acquirat repudians hæreditatem: cum facilius hoc ſit, quam acquirere artem aliquam exercendo. 5. quia leges concedentes debitori talem repudiationem, ſolum intendunt eam eſſe validam, & ſuſtineri, nec ad petitionem creditorum revocari: ut conſtat ex *dict. l. Qui autem, verſ. Proinde*, ibi, *Proinde & qui repudiavit, &c. Non eſt in ea cauſa, ut huic edicto locum facias:* & *d. regul. Non fraudantur*, ibi, *non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore*: quibus verbis ſolum decernitur eam repudiationem non eſſe alienationem in fraudem creditorum, quæ illo edicto revocatur: non autem decidunt hunc debitorem licite facere, nec ipſi privilegium aliquod concedunt: ergo nulla ratione id licite efficere poteſt. Ultimo, quia ſaltem videtur clare delictum eſſe contra charitatem. Quia quilibet lege charitatis tenetur damno proximi obviare, ſi facile poteſt, maxime ſi ejus cauſa damnum illud patiatur: at creditor cauſa debitoris patitur ſui debiti jacturam: ergo debitor potens facile hoc damnum creditoris vitare, tenetur ſaltem charitatis lege. Et ita hanc ſentent. tenet *Molina tom 2. de juſt. tract. 2. diſp. 435. ad finem*: & peccare ſaltem contra charitatem, magiſque inclinat eſſe etiam delictum contra juſtitiam, docet *Navar. lib. 3. de reſt. c. 1. in nova edit. n.* 112. Et delinquere contra juſtitiam clare colligitur ex DD. 4. ratione allegatis, cum ipſi ſentiant teneri debitorem lege juſtitiæ acquirere artem aliquam exercendo. Faciunt etiam pro hac parte *Sotus l. 4. de juſt. q. 7. art. 4. ad 2. verſ. Attamen quia hæc, Cordub. ſum. q. 68. punct. 3. §. La tercera opinion. Manuel 2. to. ſum. c. 45. n. 5.* ubi tanquam quid ſpeciale docent, virum nobilem minime teneri artem exercere, quia facultates compareț, ut ſolvendo ſit. Hinc fit ut debitorem licet alias ratione impotentiæ excuſaretur a reſtitutione damni emergentis, & lucri ceſſantis, ob dilatam ſolutionem: at caſu quo repudiat hæreditatem, ne ſolvat, teneri deinceps ad lucrum ceſſans, & damnum emergens. Cum jam culpa ſua minime reſtituat: & quamvis ſemel repudiata hæreditate maneat vere impotens ad reſtituendum, nec ei deinceps imputetur culpa: at provenit ex culpa, quam repudiando contraxit. Sicut injuſtus poſſeſſor ratione impotentiæ reſtituendi non excuſatur a lucro ceſſante, & damno emergente. Quia in culpa fuit: ut bene docet *Salon 2. 2. q. 62. art. 9. fol. 966. & ſeq.* Similiter cauſidici, & alii conſulentes debitoribus, ut repudient, & ſic efficiantur impotentes ad ſolvendum, tenebuntur reſtituere creditoribus ea debita; quia injuſto conſilio fuerunt cauſa illius damni. Sæpe tamen tam debitores, quam conſulentes excuſantur: quia bona fide, & juſta ignorantia procedunt, ducti pravo legum intellectu, juſte tamen ignorato: non enim res facilis eſt. Bona autem fides excuſat non habentem rem, nec ex ea factum locupletiorem. Ut paſſim tradunt DD. in materia de reſtitutione.

10 Ad argum. propoſita nu. præced. ad probandum poſſe debitorem tuta conſcientia repudiare, reſpondetur. Ad 1. dic majorem eſſe veram, quando ſententia judicis innititur legi approbanti aliquid, tanquam juſtum: ſecus quando legi deneganti actionem: tunc enim ſententia illa non approbat contractum, ſed actionem denegat. Et ita contingit in præſenti; judex enim ſua ſententia tantum declarat repudiationem illam fuiſſe validam, nec dari actionem creditoribus ad eam revocandam. Sicut in ſimili, dixi l. 4. diſp. 9. n. 19. in ſol. ad 1. Ad confirm. eodem pacto reſpondetur: judex enim non abſolvit, approbans tanquam licite factam eam repudiationem, ſed denegans actionem, ut ea reſcindatur. Ad 2. dic mulierem in eo caſu nihil agere in creditorum præjudicium, tantum enim ex iis lucris conſtante matrim. acquiſitis tenetur ad debita, quatenus eſt ſocia, & ea ſibi acquirit: & iis non ſufficientibus, minime tenetur ex propriis bonis, cum non ipſa, ſed vir debita contraxerit. Unde cum lucris cedit, eadem bona manent, ut creditoribus ſatisfiat: quare licite facit. Sicut hæres licite repudiat hæreditatem, ne teſtatoris debita ſolvere conſtringatur. At 3. dic eos DD. nil de foro conſcientiæ, aut de peccato diſputare, ſed tantum an ea ſit alienatio, ſuſtineaturque tanquam valida, quamvis in fraudem creditorum fiat. Nec doctrina Paludani, & Angeli, ut decens bonis non teneatur artem exercere, eſt vera. Quia ea ceſſio ſi ſolemnis ſit, tantum tribuit jus ne debitor in carcerem conjiciatur, & ut ei relinquantur neceſſaria ad victum, *l. 1. C. qui boni ced. & l. 1. titul. 15. p. 5.* & ultra alios docet optime *Covar. 2. variarum, c. 1. n. 4 & 5.* unde (ut optime dicit *Navar. cap. Non dicatis 12. q. 1. n. 3. in operibus vero novis eſt c. Cui portio 12. q. 1. n. 8. verſ. 6.*) ceſſio bonorum tantum excuſat vere impotentem ſolvere; non autem eum, qui artem exercens ſolvendo eſſet: niſi creditores urgentes, ut ſtatim ſolveret, conjicerent eum in carcerem. Et tunc (ut dicit *Metina Cod. reſtitutione, q. 3. cauſa 8. verſ. Ad rationes*) excuſabit, ne in carcerem detrudatur, vel alii ſervituti ſubjiciatur, non autem ut non quærat modum quo ſolvat. Et dum ait D. Thom. perſonam debitoris eſſe liberam: intelligit, ut poſſit ingredi religionem, quando non eſt ſolvendo.

11 VIII. Infertur intellectus ad *c. Sine exceptione 12. q. 2. & cap. Cum Apoſtolica, ad finem, verſ. In alienatione de his, quæ fiunt a prælato*: infertur (inquam) licet res Eccleſiæ alienari minime poſſint a prælato abſque ſolemnitate in illis textibus contenta: poſſe tamen ſolum prælatum nulla ſolemnitate adhibita, repudiare hæreditatem Eccleſiæ delatam. Ex ratione *l. Qui autem ff. quæ in frau. credit. & l. Si ſponſus, ad fin. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Quia hæc non eſt alienatio, ſed non acquiſitio: jus autem eam ſolemnitatem in alienatione rerum Eccleſiæ petit. Sic *Corneus conſ. 11. nu. 2. l. 3. Phanucius de lucro dotis gloſſ. 8. n. 17. & 18.* ubi multos alios refert: *Jo: Lup. rubr. de donat. § 47. n. 5. Seraph. de privil. juram. privil. 71. n. 32. Cervantes lib. 6. Tauri nu. 79.* & multi alii, num. ſeq. allegandi, idem etiam in legato admittentes. Quamvis *Lambertinus de jure patron. l. 3. q. 9. art. 1. nu. 21. concl. 5. verſ. eodem modo*, id neget in hæreditate, & in legato.

12 In legato autem, an valide repudietur per prælatum abſque ea ſolemnitate; non levis eſt difficultas: propter textum, cum ſua ratione, *l. Magis puto 5. §. ſi pupillus, verſ. Fundum, ff. de reb. eorum*, ibi, *fundum autem legatum repudiare pupillus ſine prætoris auctoritate non poteſt. Eſſe enim, & hanc alienationem, cum res ſit pupilli, nemo dubitat.* Ubi *Gloſſ. Pupilli*, recognoſcens hanc difficultatem, opponit, *l. Si ſponſus, ad fin. ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi permittitur repudiatio legati per maritum facta, ut in eo ſuccedat uxor, nec reportatur alienatio, & donatio inter conjuges: & reſpondet aliud eſſe in eo caſu, quia donationes inter conjuges non ita amare tractandæ ſunt; & ita ſentire videtur in omnibus aliis caſibus repudiationem legati, eſſe alienationem. Quare in hac repudiatione requiri ſolemnitatem jure petitam in alienatione rerum Eccleſiæ, docent *Balb. Palud. Alex Aretin. Roman. Socin.* & alii quos refert, & ſequitur *Menchaca de ſucceſſ. progreſſ. l. 3. §. 27. nu. 23. Lambertinus relatus n. præced Ang. verb. Alienatio, n. 16. Pinellus de bonis mater. lib. 1. part. 3 n 103. verſ. alia ampliatio erit.* Sed contrarium eſt verius, nempe ſolum prælatum valide repudiare poſſe legatum Eccleſiæ relictum, nec ſolemnitatem aliquam deſiderari. Et conſtat ex dictis n. 8. in principio, ubi per *l. Qui autem, ff. Quæ in frau. credit.* diximus repudiationem legati, cujus jam ceſſit dies, permitti, validamque eſſe in fraudem creditorum: cum tamen *l. 1.* & melius *l. 3 fin. ff. eod. t. Omnis prorſus alienatio in fraudem creditorum facta, revocetur*: ibi, *& omnino qui aliquid fecit, ut deſinat habere quod habet, ad hoc edictum pertinet*: ergo repudiatio legati non eſt alienatio, & ſubinde poterit repudiari abſque ſolemnitate jure petita in alienatione rerum Eccleſiæ. Sic tenent *Bart. Bald.* ſibi contrarius, *Lupus, Anton. Felin. Ripa*, & alii quos refert *Mench. de ſucceſſion. progreſſ. l. 3. §. 27. n. 23. Federicus conſ. 9. Abb. Tua, n. 9. de his, quæ fiunt a prælat. & c. 1. n. 22. de dolo, & contumacia, Jaſon l. Legatum ſervo, n. 20. ff. de legat. 1. Roſell. verb. Alienatio, n. 10.* ubi *Silveſt. q. 19. Tabiena q. 10. Corneus, Joan. Lup. & Cervantes allegat. n. præced. Bernard Diaz reg. 219. verſ. Tertia, & ſingularis: Navar. c. Si quando, de reſcript. except. 6. n. 2. Spino ſpeculo teſt. gl. 8. principali n. 63. fin.* Et idem dicendum eſt de prælato religionis, reſpectu legati religioni relicti. Quia eadem eſt ratio. Ita docent *Jaſon, & Cervantes, ibid.* Ad *l. Magis puto*, qui innititur contraria ſent. reſpondet *Abb. proxime cit.* loqui in pupillo adminiſtratione carente: ſecus in prælato, qui adminiſtrationem habet: vocarique eam repudiationem improprie alienationem: cum dominium legati non omnino transferatur, ſed revocabiliter, ante acceptationem. Sic melius reſpondet *Ant. Gom.* cum aliis quos refert *tom. 2. variar. c. 14. n. 14.* in minori non ſolum prohiberi alienationem, & bonorum dilapidationem, ſed etiam omiſſionem lucri, quare cum per eam repudiationem omittat lucrari, appellatur quodammodo alienatio: quia perinde in ipſo perhibetur, ac ſi alienatio eſſet. In bonis autem Eccleſiæ ſolum deſideratur ea ſolemnitas, quando vere, & proprie alienatur. Unde infertur ſolum prælatum abſque conſenſu Capituli, & ſolemnitate, poſſe in acquirendis nocere Eccleſiæ, & conditionem ejus facere deteriorem. Sic *gloſſ. c. fin. fine, 16. qu. 6. & cap. 2. verb. Non debet, de donat.* ubi *Innoc. n. un. & Antonius n. 10. Bart. l. Jubemus, n 4. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Abb. Corneus, Roſella, Silveſt. Tabien. hoc nu. cit. Jo: Lup rub. de donat. § 46. num. 6. Arm. verb. Donatio, num. 16. Seraph. de privileg. jurament. privileg. 71. num. 32.* ubi alios refert.

Unde legato relicto Eccleſiæ, aut monaſterio, ſub certa conditione, ſi ſolus prælatus conditionem minime impleat, privabitur Eccleſia, aut monaſterium. Sic *Abb. c. 1. n. 23. de dolo, & contum. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 47. n. 8. Bernard. Diaz reg. 219. verſ. Tertia, & ſingularis, Beja*, alios referens *in ſua ſumm. caſu 41. fin.* Similiter ſolus prælatus recipiens penſionem ab eo quem privare poterat, ob eam non ſolutam, præjudicat Eccleſiæ, ut amplius privare non poſſit. Quia emphyteuta non cadit ipſo facto a jure ſuo, ſed poteſt repelli, quare prælatus recipiens penſionem, & ſubinde hoc jus amittens, non dicitur vere alienare, ſed non acquirere. Sic contra *Gloſſ. c. Potuit, verſ. Expelli, de locato*, tenent *Abb. ibi n. 15 Jaſon l. legatum ſervo, n. 22. ff. de legat. 1. Jo: Lup. d. §. 47. n. 7.* 13

Quamvis autem prælatus ſic repudians hæreditatem, aut legatum abſque cauſa juſta peccat, ut conſtabit ex dicendis num. 14 ſeqq. minime tamen incurret excommunicationem latam in alienantes bona Eccleſiæ abſque ſolemnitate. Quia ea alienatio non eſt. Sic *Tabiena verb. alienatio, quæſt. 10.*

Tenetur autem prælatus ſine cauſa repudians hæreditatem, 15 vel legatum Eccleſiæ relictum, propriis bonis damnum illud reſarcire. Quia ex officio, & conſequenter ex juſtitiæ lege tenetur bene adminiſtrare, bonæ autem adminiſtrationi adverſatur ea repudiatio. Item probatur ex *c. Quicumque 12. q. 4.* ibi, *ſi neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, reſtituat.* Ubi *gloſſ. verſ. aut neglectum*, hoc tenet, dicens teneri ad inſtar tutoris, qui ſi negligentia ſua pupillo non acquirit, tenetur reſtituere, *leg. quidquid, C. de arbitr. tutel.* idem docent *Abb. c. Tua, n. 9. de his quæ fiunt a prala. Jaſon* alios referens, *l. Legatum ſervo, nu. 19. ff. de legat. 1. Spino ſpeculo teſtam. gloſſ. 8. principali n. 63.* Competit etiam Eccleſiæ beneficium reſtitutionis in integrum. Id enim conceditur ſibi etiam quando agit de lucro captando, quando facilitate, vel negligentia prælati amittit. Sic *gloſſ. c. Auditis, verb. Reſtituimus, fine de in integr. reſtitut.* ubi *Abb. n. 15. Jaſon d. l. Legatum ſervo, n. 21. Joan. Lup. rubr. de donat. §. 47. n. 12. Bernard. Diaz reg. 219. Spino d. n. 63.* & dicit *gloſſ. eo verbo Reſtituimus*, favore Eccleſiæ eſſe in ipſius optione convenire prælatum, vel petere beneficium reſtitutionis. Si autem vellet Eccleſia beneficium reſtitutionis implorare ob hanc repudiationem, contra aliam Eccleſiam, cui hæreditas illa eſſet jam acquiſita non audiretur. Quia potior eſſet conditio Eccleſiæ poſſidentis, certantis de jure ſibi acquiſito perdendo, quam alterius

ſius Eccleſiæ certantis de lucro. Sic cum aliis quos refere *Bernard. Diaz ibid.*

16 Gravior tamen difficultas eſt, an ſicut vir poteſt repudiare hæreditatem, vel legatum, ut ſuccedat uxor, & debitor in creditorum præjudicium, & prælatus ſine ſolemnitate ad alienationem requiſita, & religioſus repudiare donationem abſque motus proprii, aut voti paupertatis violatione (ut diximus corollariis præcedentibus) ita poſſint hi omnes cedere, ſeu renunciare in favorem alicujus, qui alias non ſuccedebat, niſi ex hac renunciatione, ſucceſſione in favorem ſuum facta? Nam *Phanucius de lucro dotis, gloſſ.* 8. *n.* 18. dicit idem de ceſſione hæreditatis, quod de ſimplici repudiatione, & ita ait factam a prælato ſine debita ſolemnitate ad alienationem requiſita, valere, & conſequenter idem diceret in ceteris caſibus poſitis: omnes enim ex hoc pendent, an hæc ſit alienatio, vel potius non acquiſitio. Et affert quamdam deciſionem Rotæ id reſolventem. Probatque, quia licet cedendo videatur prius acquirere: at cum ceſſio non ad acquirendum principaliter tendat, ſed potius ad renunciandum, illa additio, & acquiſitio momentanea conſideranda non eſt. Quia momentanea non ſunt in conſideratione, *l. fin. §. fin. Cod. de bonis quæ liber.* Idem tenet *Socin. ſenior. conſ.* 53 *nu.* 27. *&* 28. *vol.* 4. *Rolan. conſil.* 15. *num.* 35. *&* 36. *vol.* 1.

17 At contrarium tenendum eſt. Quia ea ceſſio, eſt vera donatio, & alienatio: cum eo ipſo quod cedit, tacite, & prius natura adeat. Ut expreſſe colligitur ex *l. Si avia, C. de jur. delib.* ubi qui de hæreditate ſibi relicta teſtatur, eo ipſo adire videtur, ut ceſſio ſit efficax. Qui enim vult aliquid, cenſetur velle omne id quod ad ejus efficaciam neceſſarium eſt: argum. *l.* 2. *ff. de juriſd. omn. jud. & c. Sane, de offic. deleg.* Et quamvis illa additio ſit tacita, idem operatur, ac ſi eſſet expreſſa: ut vere ſit donatio, & alienatio. Ut conſtat ex *l. Singularia, ff. ſi cert. pet.* ubi quando duo actus concurrunt in unum, alter tacitus, & alter expreſſus, idem operatur tacitus, ac ſi eſſet expreſſus. Et *l.* 1. *§. ſi minor. ff. de reb. eorum*, ibi, *ſi minor emerit prædia, ut quoad pretium ſolveretur, eſſent pignori obligata, non puto pignus valere. Nam ubi dominium quæſitum eſt minori, cœpit non poſſe obligari.* Ecce qualiter unico actu acquiſitum dominium, & datum pignori, & non valet traditio in pignus. Et melius id probat *l.* 3. *fin. & l.* 4. *init. ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi non valet tanquam donatio inter virum, & uxorem, ſi vir donanti ſibi jubeat, ut donet uxori: quia jubendo donare, eſt tacita, & occulta acceptatio (ut late probavi n. 2.) Idem probatur ex *l. Si ſponſus* 5. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi dicens textus non eſſe donationem inter conjuges, quando vir repudiat hæreditatem, ut ſuccedat uxor: ſubdit hæc verba, *repudiatio autem mariti, mulieri prodeſt, ſi vel ſubſtituta mulier ſit, vel etiam ab inteſtato hæres futura.* Quaſi ſentiat aliud eſſe, quando ex renunciatione viri acquireret uxor jus in illam hæreditatem. Quod etiam clare docet *Bart. d. l. Qui autem, paulo poſt princ.* ubi reddens rationem cur ea repudiatio non ſit alienatio, valeatque in creditorum fraudem, dicit id provenire, quia debitor nil facit, ex ejuſque repudiatione nihil alter conſequitur. Eamdem rationem ſecutus eſt *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. cap.* 7. *§.* 1. *nu.* 12. & ita uterque videtur expreſſe ſentire, illud eſſe quando virtute ceſſionis debitoris, ſuccedens conſequitur hæreditatem. Et clarius id tenet *Carolus Molinæus in conſuet. Pariſ. titul.* 1. *§.* 9. *gloſſ.* 4. *n.* 4. ubi dicit aliud eſſe abſolute abſtinere, aliud vero cedere jus ſuum alii. Quia tacite ſe gereret hic cedens pro hærede, ſic cedendo, ſive illa ceſſio fiat tacite, ſive expreſſe: & *n.* 7. dicit perinde haberi, ac ſi expreſſe adiret, & cederet. Quia prior natura eſt additio. Et §. 1. *gloſſ.* 3. *n.* 15. dicit *l. Qui autem, ff. quæ in fraud. credit.* procedere, quando quis renunciat hæreditati, aut alii cedat. Et addit hæc, *intellige ut loco cederet, ſive ut non impediat, ſed eum cujus favore renunciat, relinqueret in jure quod habebat, ut ipſo repudiante ſuccederet. Secus ſi renunciat in favorem ejus, quia alias non vocatur, niſi renuncians acceptet, & transferat in illum. Quia hæc non eſt renunciatio, ſed aditio, & alienatio.* Expreſſe etiam pro hac ſententia eſt *Ripa l. Si unquam, q.* 11. *nu.* 21. *C. de revoc. donat.* ubi dicit renunciationem factam in favorem alicujus, cui per jus accreſcendi non acquirebatur, eſſe proprie donationem. Cum renuncians, in neceſſarium accedens cenſeatur, acceptaſſe, & poſtea alteri donaſſe. Ad argumentum oppoſitæ ſententiæ propoſitum, nu. præcedenti, dic momentanea eſſe in conſideratione, quando ex illis producitur aliquis juris effectus, ſecus quando non producitur, *l.* 2. *C. de poſthum. hæred. inſtit.* & declarat bene cum aliis *Barboſa, l. Dotalem,* 62. *n.* 13. *ff. ſolut. matrim.* Et valde confert doctrina *Bartoli l. fin. nu.* 4. *ff. de condit. inſtit.*

18 Nono infertur intellectus ad *l.* 26. *Tauri, hodie l.* 10. *t.* 6. *lib.* 5. *recop.* qua diſponitur donationem quamcumque per parentes factam filio, computari in tertia, & quinta bonorum parte: infertur (inquam) remiſſionem uſusfructus quem habet pater in bonis adventitiis filii, non computari in 3. & 5. bonorum parte: nec conferendam eſſe, aut revocari poſſe, tanquam inofficioſam, ſi excedat: ſed ultra eam poſſe patrem meliorare illum filium, vel alium in 3. & 5. bonorum parte. Quia ea remiſſio non eſt alienatio proprii patrim. ſed tantum renuntiatio lucri legalis, & acquiſitio. Sic *Ant. Gom. l.* 48. *Tauri, num.* 10. *Guttier. de pact. initio, num.* 31. *Molina tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 8.

19 Decimo infertur, poſſe parentes dare facultatem filio, teſtandi de legitima ipſis debita, ex bonis filii, ut poſſit libere de illis diſponere in præjudicium aliorum filiorum. Prob. quia ſi licet hæreditatem jam delatam, & legatam repudiare in fraudem creditorum, neque hæc eſt alienatio per creditores revocabilis (ut diximus nu 8.) a fortiori poterunt parentes in filiorum præjudicium hanc repudiationem facere. Cum hic hæreditas non ſit delata, ſed deferenda, & viventis nulla eſt hæreditas, *l. Qui ſuperſtitis, ff. de acquirenda hæred.* nec debitum legitimæ dum vivit is cui ſuccedendum eſt, eſt verum & proprium debitum, ſed improprium: ut probavi lib. 4. diſp. 25. n. 1. Et confir. quia hæc non eſt alienatio, ſed tantum non acquiſitio. Sic *Tello l.* 6. *Tauri, n.* 64. 65. *Molina lib.* 2. *de primog. c.* 3. *n.* 49. *Guttier.* latius probans, *de pactis initio, a n.* 19. *& lib.* 3. *practic. tota q.* 75 *Azebedo lib.* 5. *recop. tit.* 8. *l.* 1. *n.* 76. *Cervantes l.* 6. *Tauri, a n.* 74. Hinc fit poſſe filium hanc teſtandi licentiam nactum, inſtituere majoratum cum gravaminibus, & conditionibus quas voluerit, & vocare ad illum ipſos parentes, vel extraneos. Quia poteſt libere de iſtis bonis diſponere. Sic *Molina eodem num.* 49. *Guttier. de pactis, initio, n.* 39. *Cervantes l.* 6. *Tauri, n.* 78. Exigitur tamen juramentum parentis, ut hæc licentia teſtandi valeat, alias non valebit, & ea non obſtante erit parens hæres neceſſarius. Quia ille conſenſus, vel licentia continet pactum de non ſuccedendo, ut declarant *Odofredus, Petrus, & Cynus, l. finali, C. de bonis libert.* pactum autem de non ſuccedendo, invalidum eſt, *l. Pactum dotali, Cod. de collat. & l. Pactum quod dotali, C. de pactis*, niſi firmetur juramento, *c. Quamvis pactum, de pactis in* 6. Et licet *Bald. l. Quamvis, q. ultim. C. de fideicommiſſis*, dicat, intelligi quando filius repudiat, ſeu paciſcitur cum aſcendenti, de non ſuccedendo, non autem quando aſcendens id pactum de non ſuccedendo ſinit cum deſcendenti. Ejus tamen opinionem ex multis improbat, alios referens, & dicens eſſe falſam, *Ant. Gomez l.* 22. *Tauri nu.* 3. ergo ut ea licentia valida ſit opus eſt juramento. Sic *Tello* dicens ſic per ſententiam pronunciatum fuiſſe, *l.* 6. *Tauri, n.* 64. *&* 65. ubi *Cervantes n.* 86. *Molina l.* 2. *de primog. cap.* 3. *n.* 50. *Guttier. de pactis, init. in* 2. *editione, nu.* 30. *Azebedo l.* 5. *recop. t.* 8. *l.* 1. *nu.* 79. Quamvis ipſe *Guttierez* 3. *pract. qu.* 75. *n.* 6. teneat valere licentiam juramento, licet abſque juramento non accedente revocabilis ſit. Sed verius eſt quod dixi. Intellige tamen niſi fieret in actu ipſo teſtandi in vita, vel in morte. Quia renunciatio parentis, vel conſenſus ne inſtituatur in eo actu, valet ſine juramento, non enim reputatur renunciatio hæreditatis futuræ, ſed inſtitutionis præſentis: quæ eo tempore fit, & ſibi debebatur: & licet in conſequentiam veniat privatio hæreditatis non attenditur: cum fundetur in jure de præſenti. Sic *Ant. Gom.* multos referens *l.* 2. *Tauri, n.* 5. *ad fin. ante verſ. Item infero*, & melius; *tom.* 1. *var. cap.* 11. *nu.* 14. *&* 31. *Guttier. de pactis, initio, n.* 39. & dicit *Ant. Gom. eiſdem locis*, idem eſſe, ſi in ipſo teſtandi actu conſentiat filius, ut exhæredetur a patre, ſecus ſi ante, vel poſt teſtamentum: tunc enim non valeret, quia eſt pactum de non ſuccedendo. Idem docent *gloſſ. leg. Si quando, §. Et generaliter, verb. Judicium, C. de inoffic. teſtam. & Barth. Cynus, Salic. Paulus, Cuma, Fulg.* & alii quos refert *Suarez l. Quoniam in prioribus, ampliatione* 10. *n.* 32. ipſoſque ſequitur *n.* 37. *&* 38. non tamen ita generaliter loquuntur, ut reliqui, ſed cum hac modificatione: nimirum, quando pater volebat filium inſtituere, vel econtra, & inſtituendus renuit in ipſo teſtandi actu, ſecus quando tunc utriuſque voluntas concurrit, tunc enim dicunt non valere ſine juramento. Quia in effectu eſt pactum de non ſuccedendo. Quamvis *Bald. eadem l. Si quando*, in utroque caſu juramentum deſiderari affirmet. Et ideo propter opinionum varietatem, tutius & firmius erit, ſi juramentum accedat: ut fatetur *Guttier. eo n.* 39.

Rogabis autem, an mater dum nupta eſt, poſſit abſque viri licentia concedere hanc facultatem teſtandi filio, in præjudicium legitimæ ſibi obvenientis? Videtur enim poſſe; quia quamvis *l.* 54. *Tauri, hodie l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 5. *recop.* prohibeatur mulierem conjugatam abſque licentia viri repudiare hæreditatem, ſibi ex teſtamento, vel ab inteſtato obvenientem: at hæc non eſt vera hæreditatis repudiatio: cum hæreditas non ſit viventis, *l. Qui ſuperſtitis, ff. de acquirend. hæred.* & ita *Matienzo eadem l.* 1. *gloſſ* 2. *n.* 5. interpretans illam legem, ſemper loquitur de hæreditate delata. Item, quia cum ſit lex correctoria, jure enim communi poterat uxor, & quicumque repudiare, cum id minime ſit perdere, ſed non acquirere, non videtur extendenda ad eam, quæ non eſt proprie hæreditatis renunciatio. At credo non poſſe tunc, quia hic eſt incluſum pactum de non ſuccedendo (ut diximus n. præced.) nullum autem pactum inire poteſt conjugata abſque viri conſenſu, *l.* 55. *Tauri, hodie, & l.* 2. *& t.* 3 *lib.* 5. *recop.* 2. quia ut docent omnes ſcribentes, *l. illa* 54. *&* 55. *Tauri, & l.* 1. *&* 2. *tit.* 3. *lib.* 5. *recop.* ratio illius prohibitionis fuit, ut conſulatur imbecillitati mulierum, & ne damnificent virum: at in hoc caſu eadem militat ratio; nam damnificatur vir, cum ex iis bonis in quibus ſuccedebat uxor, debeat habere dimidiam partem lucrorum inde provenientium. Item ſicut ad hæreditatem extranei delatam habet uxor jus ad rem, quo jure noluit lex poſſe uxorem privare virum, ſine ejus licentia, ita habet jus ad ſuccedendum in bonis filii præmorientis, deſcendentia carentis, & non mirum eſt, ſi extendatur hæc lex correctoria ex rationis identitate: cum generale ſit legem correctoriam ex identitate rationis extendi poſſe, *l. Scire oportet, §. Aliud etiam, verſ. Sed, & ſi maxime, ff.* 20

de excuſat. tutor. & late per Tiraquellum cum aliis quos refert, *l. Si unquam, verb. Donatione largitus, nu.* 179. *C. de revocan. donat. & Covar.* 1. *var. c.* 11. *n.* 5. *ad finem.* Et in propriis terminis quod hæc lex extendenda ſit ex rationis identitate, docet *Joan. Lupus, rubr. donat. §.* 68. *n.* 14. dicens ob identitatem rationis extendendam ad donationes, & quaſi contractus, licite proprie contractus non ſint.

21 Utrum autem hæc teſtandi licentia legitime ſemel conceſſa interveniente juramento, poſſit per parentes revocari? *Guttier. l.* 3. *pract. q.* 75. *nu.* 6. *& ſeq.* aſſerit, quando firmatur juramento, minime poſſe revocari, quando autem juramentum deficit, ſi res ſit integra, quia nondum filius teſtatus eſt, poſſe revocari: ſecus ſi res non ſit integra. Sed dicendum eſt, juramento non intercedente minime eſſe validam: (ut diximus nu. 19.) Si autem juramentum intercedat, minime poſſe revocari abſque conſenſu filii cui conceſſa eſt. Quia jus eſt acquiſitum illi filio, & quod ſemel placuit amplius diſponere non poteſt, *reg. Quod ſemel, de regul. jur. in* 6. Sic dicens fuiſſe ſententia pronunciatum, docet *Tello l.* 6. *Tauri, nu.* 65. *Guttierez*, latius probans *de pactis, in principio* 2. *editione, num.* 45. 50.

DISPUTATIO V.

An poſſit uxor conſtante matrimon. in favorem viri renunciare lucrorum medietati ſibi competenti, vel potius ſit hæc donatio prohibita inter conjuges?

SUMMARIUM.

Poteſt ante matrim. initum, conveniri inter conjuges, ne lucra dividantur, num. 1.

An valida ſit ea renunciatio conſtante matrimonio facta, referuntur duæ ſententiæ, nu. 2. 3. *&* 4.

Poteſt uxor in favorem viri renunciare lucris acquirendis, num. 5. *Et econtra,* 6.

Non poteſt vir lucris acquiſitis renunciare in uxoris favorem, num. 7. *Poteſt tamen uxor,* 8.

Tutius eſt, ut renunciatio fiat juramento, nu. 9. *Et an poſſit fieri in præjudicium legitime aſcendentium, vel deſcendentium, nu.* 10. *Et ſolvuntur argumenta, nu.* 11. *Et ibi, an uxor poſſit renunciare in favorem viri lucris acquiſitis, aut acquirendis, ex contractu cum quodam tertio.*

1 CONſtat inter omnes DD. ante initum matrim. poſſe inter conjuges conveniri de lucris non dividendis. Quia eſt tantum renunciatio futuræ, ac incertæ ſpei, nihilque de patrimonio minuitur. Item, quia tempore celebrationis talis contractus, nondum ſit vir, & uxor. Præterea, quia illa non eſt donatio, ſed contractus oneroſus, cum ſit integrum cuique eorum matrimonium contrahere volenti, non aliter velle, quam ſervatis certis conditionibus.

2 Tota autem difficultas eſt, an ea renunciatio facta, conſtante matrimonio, ſit valida? Duplex eſt ſententia. I. negat, poſſe alterum conjugem lucris, ſive acquiſitis, ſive acquirendis, renunciare in alterius favorem, ſed dicit eam eſſe donationem prohibitam inter ipſos, quæ aliter valida non erit, niſi morte confirmetur, inſtar ceterarum donationum inter ipſos factarum. Ducitur 1. quoniam poſito jure Caſtellæ, quo lucra conſtante matrimonio acquiſita, communia ſunt, eo ipſo quod matrimonium initur, debetur alterutri conjugi dimidium lucrorum, ex vi ſolius contractus matrimon. & independenter ab acceptatione: & juxta veriorem ſententiam comparatur dominium illius medietatis lucrorum, cuilibet ex conjugibus, qua ratione uterque conjux tranſmittit hoc jus ad hæredes, ſed donatio conſurgens ex remiſſione debiti facta inter conjuges, non valet (ut dixi hoc 6. lib. diſp. 3. nu. 10.) ergo nec ea renunciatio. 2. quia ſi uxor celebraſſet ſocietatis contractum cum quodam tertio, non poſſet lucris vel acquiſitis, vel acquirendis renunciare conſtante matrimonio, in favorem viri: ergo ſimiliter nequit renunciare lucris provenientibus ex ſocietate cum viro inita, cum uterque ſit verus ſocietatis contractus. 3. quia ſi alter conjux renunciaret hæreditati ſibi delatæ, in favorem alterius conjugis, alias non habentis jus in illa ſuccedendi, eſſet vera alienatio, & donatio prohibita inter conjuges (ut probavi diſp. præced. n. 17.) Ergo ſimiliter erit talis renunciatio lucrorum, qua alter conjux in alterius favorem renunciat, cum alter ex ea renunciatione jus acquirat. 4. quia ſi hæc renunciatio non eſſet alienatio, poſſet fieri in præjudicium legitimæ aſcendentibus, vel deſcendentibus debitæ, quod abſurdum videtur, ſicut poteſt repudiari legatum, vel hæreditas in præjudicium legitimæ aſcendentium, vel deſcendentium. Ultimo, quia uxor nequit contrahere ſine viri licentia, *l.* 55. *Tauri, hodie l.* 2. *titul.* 3. *lib.* 5. *recop.* quod non tantum eſt in viri favorem, ſed ut conſulatur imbecillitati mulierum, ne decipiantur: utrumque videtur, & a multis negatur, poſſe virum præſtare auctoritatem huic renunciationis pacto cum ipſo inito. Ergo non valebit. Sic tenent *Greg. Lop. l.* 5. *tit.* 11. *p.* 4. *verb. Otra manera, Menchaca* referens *Caſſanæum, l.* 1. *controv. uſu frequen. cap.* 13. *n.* 6. *Burgos de Paz q.* 9. *civil. nu.* 10. *Molina tom.* 2. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 289. *§. Ex hac doctrina, & diſp.* 435. *§. Contrariam ſentent.* favet *Caſtillo, l.* 60. *Tauri, n.* 3. ubi ait difficilem ſibi videri ſententiam, ut cum vir dominum emit, poſſit mulier conſtante matrimon. lucris quærendis renunciare: at poſſe ſuſtineri, quando de pretio, & emptione certior facta, nollet lucra participare. Et addit *Molina utroque loco citat.* hanc renunciationem lucrorum, ſi excedat ſummam quingentorum aureorum, inſinuatione indigere quoad illum exceſſum, ut morte confirmetur. Sicut de ceteris donationibus inter conjuges factis, eam ſummam excedentibus, dicemus hoc 6. libr. diſp. 14. num. 15. Et hæc ſentent. eſt probabiliſſima.

II. Sententia cenſet, validam eſſe renunciationem medietatis lucrorum acquiſitorum, & acquirendorum, factam, conſtante matrim. per uxorem, in favorem viri. Ducitur primo, quoad lucra acquirenda: quia cum ea nondum in uxoris dominium ſint, nec acquiſita, non cenſetur uxor aliquid ex proprio patrimonio alienare, ſed tantum non acquirere. Et confirm. quia pater poteſt remittere uſumfructum, quem habet in bonis filii, in præjudicium legitimæ aliorum filiorum, quia id non eſt donare, ſed lucris legalibus cedere: ut diximus diſp. præced. nu. 18. ergo ſimiliter non erit donatio, cum uxor lucris legalibus acquirendis cedit, ut vir ſuccedat. 2. probatur de lucris jam acquiſitis, quia propter hanc renunciationem uxor donans non efficitur pauperior. Quia non vere, & proprie acquirit dominium illius medietatis lucrorum, nec eſt realis incorporatio in patrimonium ſuum per actum verum, & naturalem, ſed ficte, & revocabiliter per legem. Sicut quando hæreditas, vel legatum ipſo jure alicui acquiritur per legem ſine additione: ergo ſicut poteſt hæreditas, vel legatum repudiari ab uxore, ut ſuccedat vir (ut diximus diſp. præced n. 1.) ſimiliter poterunt renunciari lucra hæc jam acquiſita. Tandem, quia *l.* 60. *Tauri*, hodie *lib.* 9 *tit.* 9. *lib.* 5. *recop.* indiſtincte decernitur, poſſe uxorem renunciare lucris conſtante matrimonio acquiſitis. Sic tenent *Joan. Lup. rubr. de donat. §.* 47. *nu.* 19. *& lib.* 60. *Tauri num.* 3. *Covar.* 4. *decret.* 2. *part. capit.* 7. *§.* 1 *num.* 11. *Ant. Gom. l.* 51. *Tauri num.* 66. *verſ. Quintus eſt, ad fin. & l.* 60 *ad fin. Perez l.* 5. *ordin. tit.* 4. *l.* 4. *fol.* 169. *col.* 2. *ver. Dubitatur ulterius, an alter ex conjugibus, Matienzo l.* 5. *recop. t.* 9. *l.* 9. *gloſ.* 1. *nu.* 5. *Azebedo ea lib.* 9. *num.* 8. *Guttier.* 2 *pract. qu.* 126. *num.* 5. *Joan. Garzia de conjugali acquæſtu, num.* 147. 3

Imo, & virum poſſe renunciare lucris quæſitis conſtante matrimonio, in favorem uxoris, ſentiunt *Covar. Perez, Matienzo, num. præced. allegati* dicunt enim, poſſe alterum ex conjugibus in favorem alterius lucris jam acquiſitis renunciare. Et pro hac parte eſt *Phanucius de lucro dotis, gl.* 8. *num.* 16. ubi dicit poſſe virum remittere uxori lucrum dotis, quod per pactum ſibi competebat. 4

Sit I. Concluſio: uxor poteſt conſtante matrimonio renunciare lucris acquirendis, in favorem viri. Prob. rationibus adductis, num. 3. & docent DD. ibi allegati. Et ultra illos idem *Joan. Lup. rubr. de donat. §.* 63. *num.* 2. *Suarez l.* 3. *fori, tit. de las ganancias, l.* 1. *num.* 24 *§. Quæritur, & ſecundo. Meres de major.* 4. *q.* 26. *num.* 60. *Navar. l.* 3. *de reſtit. c.* 1. *dub.* 9. *num.* 111. *in nova editione.* 5

II. Concluſio, poteſt ſimiliter vir ſuæ medietati lucrorum acquirendorum renunciare, in favorem uxoris. Probatur iiſdem rationibus, & docent auctores allegati, num. 4. 6

III. Concluſio: vir nullo modo poteſt conſtante matrim. cedere lucris acquiſitis, in favorem uxoris. Quia eſt perfecte dominus, & irrevocabiliter illius medietatis lucrorum, per realem incorporationem in patrimonium ſuum. Hæc eſt contra DD. alleg. num. 4. quorum ſententiam merito *Greg. Lop. & Molina relati, num.* 2. dicunt in hoc, alienam a veritate eſſe. 7

IV. Concluſio: probabilius mihi eſt, poſſe uxorem conſtante matrim. renunciare acquiſitis, in favorem mariti. Ducor rationibus adductis, num. 3. Et ſic tenent Doctores ibi relati. 8

V. Concluſio: ut evitetur opinionum varietas, tutum eſt eam renunciationem, ſive a viro, ſive a muliere fiat, ſive lucrorum, acquirendorum, ſive acquiſitorum, juramento ſtabiliri. Quia juxta communiſſimam fere omnium ſentent. veriſſimamque, donatio prohibita inter conjuges, firmatur, & irrevocabilis efficitur juramento. Ut dicemus hoc 6. lib. diſp. 11. num. 2. 9

Ultima concluſio: ea lucrorum renunciatio in favorem alterius conjugis, antequam acquiratur, poteſt fieri in præjudicium legitimæ aſcendentibus, & deſcendentibus debitæ, at ubi ſemel acquiſita ſunt non poteſt fieri in talis legitimæ præjudicium. Quia jam dominium eſt tranſlatum. Et licet idem videatur probare non poſſe renunciare in favorem viri: jam reſpondeo donationes has inter virum, & uxorem, non ita amare, & exacte tractandas eſſe, ut docet textus *l. Si id quod, verſ. Si quas, ff. de donation. inter virum, & uxorem*, ad quam ſolutionem oppreſſa alio ſimili argum. conſurgit *gloſſ. l. Si ſponſus verſ. Nec te moveat, ff. eodem titul.* Sic docent *Joan. Lupus rubr. de donat. §.* 63. *fin. Guttierez* 2. *pract. qu.* 127. *nu.* 4. *p. qu.* 26. *num.* 60. 10

Ad argum. n. 2. pro priori ſentent. propoſita: Reſp. 1. dic, non acquiri dominium omnino perfecte, & irrevocabiliter, per veram, & realem incorporationem in patrimonium ſuum: (ut explicui nu. 3.) & ita poteſt renunciare uxor lucris illis acquiſitis: reſpectu autem lucrorum acquirendorum, manifeſtum 11

ſtum eſt neutrum conjugem habere dominium, nec ea in ſuo patrimonio eſſe, cum nondum comparata ſint. Nec obſtat nullam requiri acceptationem, ut uxor comparet dominium lucrorum acquiſitorum, & abſque acceptatione obeuntem tranſmittere ad hæredes. Quia idem contingit in hærede ſuo, & in legatario ſpeciei, qui tamen repudiare poſſunt, nec ea erit alienatio in fraudem creditorum (ut dixi diſput. præced. n. 8.) ſatis enim eſt, ut illa non ſit omnino perfecta, & irrevocabilis acquiſitio dominii. Ad 2. dic, eſſe valde diſparem rationem. Quia reſpectu lucrorum acquiſitorum ex illa ſocietate, uxor habet dominium perfectum, & irrevocabile: & quamvis hoc non habet reſpectu acquirendorum, at non eſt illa mera repudiatio, non enim lucra illa compararentur viro ex mera repudiatione uxoris: ſed eſt acceptatio lucrorum illorum, & ceſſio in favorem viri (ut dixi diſp. præced. n. 17. de ceſſione hæreditatis in favorem conjugis, alias non ſucceſſuri) At in ſocietate inter conjuges, uxor non acquirit dominium perfectum, & irrevocabile, & ex mera repudiatione alterius conjugis, lucra illa cedunt alteri. Ad 3. neg. conſeq. quia quamvis conjux renunciet lucris in favorem alterius conjugis, non acquirit conjux ea lucra ex alterius renunciatione in ipſius favorem, ſed tantum renuncians aufert impedimentum, quo alter conjux impediebatur, ne ea acquireret. Nam eo ipſo quod alter renunciat, ſuccedit alter. Sicut quando vir repudiat hæreditatem in favorem uxoris ſubſtitutæ in illa, vel hæredis futuræ ab inteſtato, vellet juxta *l. Si ſponſus, ad fin. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Nec uxor recipit aliquid tunc a viro, ſed ſolum vir removet impedimentum, ut ſuccedat uxor. Ad 4. conſtat ex dictis nu. præced. Ad 5. reſpondet bene *Matienzo lib. 5. recop. t. 3. l. 2. gloſſ. 1. nu.* 12. cum multis, quos refert, non requiri licentiam viri, dum uxor cum ipſo contractum celebrat, nec eam eſſe auctoritatem, ſed meram licentiam, & ſolum deſiderari in viri favorem. Quod inde conſtat: quia eadem imbecillitas manet ſoluto matrimonio, cum tamen tunc nulla requiratur licentia.

DISPUTATIO VI.

Utrum valeat donatio remuneratoria, inter conjuges?

SUMMARIUM.

Refertur opinio negans valere, num. 1. Negatque donationem remuneratoriam eſſe, niſi merita pariant juſtitiæ obligationem. Et contraria opinio dicens id non exigi, n. 2.

An exigatur exprimi in ea, ob benemerita fieri, n. 3. Et ibi, in conſcientia non eſt neceſſaria probatio meritorum. Exigitur, ut ea merita non ſint alias debita, num. 4. Et ſint inſignia, 5.

Deſideratur ut donatio ſit meritis æquipollens, 6.

Qualis debeat eſſe hæc æquipollentia. Referuntur variæ ſent. num. 7. 8. 9. Et ſententia auctoris, num. 10. Valet donatio remuneratoria inter conjuges, 11.

Si mulier abſque matr. ſpe donet viro, poteſt matrim. ſecuto, ipſi donationem remuneratoriam prioris facere, 12.

An uxor omnia obſequia debeat viro, refertur quædam opinio, num. 13. Et opinio auctoris, 14.

1 PInellus *de bonis matr. l. 1. p. 3. n. 61. & 62.* negat valere donationem remuneratoriam inter conjuges. Quia in ea eſt ſent. ut donatio remuneratoria: cui multos effectus paſſim jura, & DD. tribuunt, ſi tantum ea, quam obſequia parentia jus agendi, & petendi, remunerationem, exhibentur: non autem quando ſolum obligant lege gratitudinis ad antidora: quod idem ſequitur *Matienzo l. 5. recop. tit. 9. l. 3. gl. 6. n. 3.* & alii DD. quos refert *Pinellus ibid. n. 60.* probantque fortiſſimis argum. Ex quo fundamento ſic probat, invalidam eſſe donationem remuneratoriam viri erga uxorem, quia nulla obſequia poteſt uxor viro præſtare, ob quæ juſtitiæ conſequatur jus, ut ſibi remunerentur: omnia enim ratione ſocietatis conjugalis debet viro. Et ad *l. Quod autem, §. Si vir, ff. de donat. inter vir. & uxor.* cui contrarii DD. innituntur, ad probandum valere donationem remuneratoriam inter conjuges dicit, non ſuſtineri eo textu donationem mutuam inter conjuges, eo quod remuneratoria ſit: ſed quia cum utrimque compenſatio fiat, neuter redditur pauperior.

2 I. Concluſio ſit: donatio remuneratoria, quæ vere, & proprie talis eſt, nec dicitur donatio ſimplex, minime exigit merita ex juſtitiæ lege mercedem poſcentia, ſed ſatis eſt, ſi ea ſint merita, quæ virum honeſtum, & probum deceat remunerare, obligentque lege gratitudinis ad antidora. Prob. ex *l. Aquilius Regul. ff. de donat.* ibi, *defendi non meram donationem eſſe, verum officium magiſtri mercede remuneratum*. Et *l. Si pater, §. fin. de donat. & l. Metum, §. Sed licet, ff. de eo quod met. cau. & l. Sed & ſi lege, §. Conſulit. ff. de petit. hæred.* ibi, *plane ſi antidora acceperunt, dicendum eſt locupletiores factos, quatenus acceperunt, & velut genus hoc eſſe permutationis*. Ecce qualiter donationem remuneratoriam ad antidora obligantem, appellat Juriſconſultus permutationem. Tandem prob. ex *l. 1. ff. de donat.* ubi dicitur eam eſſe proprie donationem, ad quam donator nulla alia præcedenti cauſa, niſi ut magnificentiam, & liberalitatem exerceat, ducitur: at obligatus ad antidora non donat gratia ſolius liberalitatis exercendæ, ſed potius ut naturæ debitum ſolvat: ergo ea minime erit donatio ſimplex, ſed vere, & proprie remuneratoria. Sic tenent *Abbas rubr. de donat. n. 3. Tiraquel.* multos referens *l. Si umquam verb. Donatione largitus, nu. 16. C. de revoc. donat. Covar.* multa eleganter afferens, *c. Cum in officiis, n. 9. de teſt. Riminald. inſt. de donat. in princ. n. 92. & ſeq. Menoch. de præſumpt. l. 4. præſumpt. 167. n. 31. 32. & 33. Julius Clarus l. 4. receptarum, §. Donatio, q. 3. initio, Jo: Garzia* late reprobans Pinellus, ejuſque fundamenta ſolvens, *tract. de donatione remuner. nu. 1. & multis ſeq. Molina tom 1. de juſt. tract. 2. diſp. 244. f. 1054.* Et hanc ſententiam fatetur communem, ac receptiſſimam *Matienzo l. 5. recop. t. 9. l. 3. gloſſ. 6. n. 3.*

II. Concluſio: aliqua ſunt requiſita, ut hæc donatio remuneratoria talis ſit. I. Requiſitum eſt, in donatione exprimi ob benemerita fieri. Si enim id non exprimatur; quamvis ea præceſſiſſe probetur, non erit donatio remuneratoria, ſed ſimplex. Quia alias omnis donatio eſſet remuneratoria, cum ſoli merenti præſumatur donationem fieri. Sic *Bald. l. Illud, n. 8. C. de ſacroſanct. Eccl. Ant. de Canario, tract. de inſinuat. 2. p. n. 15. Barboſ. l. Quæ dotis, 34. n. 56. & 57. ff. ſolut. matr.* refertque alios pro hac ſententia: & eam ſic explicat: Cum in donatione exprimuntur benemerita, cenſentur cauſa finalis, & ita donatio erit remuneratoria: ea vero tacita, quamvis præceſſerint, cenſentur cauſa impulſiva, liberalitas autem cauſa finalis: & ita donatio erit mere liberalis. Sed dicendum eſt, hoc non requiri, ſed ſatis eſſe probari merita præceſſiſſe. Prob. ex *l. Si verb. §. Idem Papinianus, ff. mandati*, ubi præſumitur libertum videntem fundum ſuum vendi a patrono, & capere pretium, donare quando poſt libertatem ſibi conceſſam id permittit, ubi *gl. verb. Patrono*, ait ratione primæ liberalitatis, præſumi hanc donationem. Et tenet optime id explicans, cum multis, quos refert *Tiraquel. l. Si umquam, verb. Donatione largitus, C. de revocandis donat. n. 71. & ſeqq.* & præcipue, *n. 78.* ubi id ſic declarat. Licet quælibet donatio præſumatur facta ob merita, vix enim quis donat non benemerito: ſed ſi de illis non appareat, habetur pro ſimplici. Donatio enim non cenſetur remuneratoria, niſi merita æquivaleant donationi, quæ ſi ignota ſit, judicari nequit an æquivaleant. Si autem de meritis præcedentibus appareat, licet de iis mentio in donatione minime fiat, præſumitur eorum contemplatione facta, & de ea tanquam de donatione remuneratoria judicandum eſt. Idem docet *Menoch. de arbitrar. lib. 2. caſu 88. num. 53. Guttier. 2. pract. 120. fin. Maſcar. de probat concl. 560. num. 10. Jo: Garzia de donat. remuneratoria, num. 49.* Et pro hac ſententia ſunt *Gloſſ. l. Si donatione, verb. Poſtullas, C. de collat.* communiter ibi a ſcribentibus recepta. *Roſella Donatio 1. d. 47. Silveſt. Donatio 2. qu. 7. dicto 13. Navar. ſum. cap. 17. Hiſp. n. 145. Lat. nu. 146.* ubi dicunt donationem factam a patre filio, cenſeri remuneratoriam, quando probatur merita donatione digna præceſſiſſe. In foro autem conſcientiæ non eſt neceſſarium ea merita probari, ſed ſatis eſt, ſi donatio conſtet. Quia probatio tantum deſideratur, ut judici in foro externo veritas conſtet. Sic *Navar. ſum. c. 17. n. 145. Guttier. de juram. 1. p. c. 5. num. 18. Molina tom. 1. de juſtit. tract. 2. diſp. 244. §. Quando conſtat.* 3

Secundum requiſitum eſt, ut obſequia, & merita non ſint alias debita, ſi enim debita eſſent, non eſſent remuneratione digna: Quia in neceſſitatibus nemo unquam liberalis exiſtit, *l. Rem legatam ff. de adimen. legat. l. Si ſerva ff. de hæred. inſtit. l. Proximi, ff. de ritu nupt.* ibi, *magis debitam libertatem præſtitit, quam ullum beneficium in mulierem contulit, quo nomine nec libertus obſequia præſtando, nec vaſallus fidelis pro domino moriendo, nec filius pro patre elaborando, nec uxor virum colendo, quicquam faciunt, niſi aliud majus, & gravius intercedat, quod ad meritum pertinere videatur*. Sic docent *Ripa l. Si unquam, qu. 14. nu. 30. verſ. Secundo, C. de revocandis donat. ibi Tiraq.* multos referens, *verb. Donatione largitus, n. 106. & 107. Jaſon. l. Ex hoc jure, n. 55. fin. ff. de juſt. & jure, & Joan. Lup. rubr. de don. §. 50. nu 32 & 33. Caſtillo proœmio legum Tauri, ſuper gl. Gratia, verſ. Sed non quælibet, Ant. Gom. l. 29. Tauri, n. 23. Guttier. de juram. 1. p. c. 5. n. 2. & 3. Meres de major. 1. p. q. 22. n. 22. Joan. Garzia de donat. remuneratoria, nu. 54. Angulo de meliorazionibus, l. 12. gloſſ. 1. num. 18.* 4

III. Requiſitum eſt, ut obſequia, & benemerita ſint inſignia: non enim quæcumque ſatis ſunt, ut donatio dicatur remuneratoria. Unde donatione remuneratoria Eccleſiæ, docet *gl. c. Si quos, 57. verb. Benemeritos, 12. q. 2.* Et de donatione inter conjuges, docet *Jo: Lup. n. 32. & Caſtillo n. præced. allegati.* 5

IV. Requiſitum eſt, ut donatio meritis æquipolleat: ſi enim ea excedat, in eo exceſſu eſt donatio ſimplex; *c. Relatum, el 2. de teſt.* ibi, *juxta ſervitii meritum*. Sic *Alex. de Nevo, c. fin. n. 7. de donat. inter vir. & uxor. Tiraquel.* multos referens, *d. l. Si unquam, verb. Donatione largitus, n. 79. & 80. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 32. n. 9. & §. 50. a n. 26. l. 17. Tauri, a 52. Caſtillo proœmio legum Tauri, ſuper gl. Gratia, verſ. Primo ut valeat, Greg. Lop. l. 2. gl. 6. n. 5. Azeb. eod. l. 3. tit. 1. l. 4. n. 1. & t. 6. l. 12. n. 20. Joan. Garzia de don. remuneratoria, n. 51. Angulo de meliorationib. l. 12. gloſſ. 1. n. 19. Gratia. reg. 150. n. 28.* 6

Gravis autem eſt difficultas, qualiter hæc merita debeant æquipollere? Quidam enim cenſent oportere, ut omnino merita æqualia ſint donationi. Sic videntur tenere omnes DD. num. præced. allegati: quia fere omnes illi abſolute docent debere eſſe æqualia merita donationi. Sed hæc ſent. rejicitur. Quia gratitudinis lex poſtulat ſemper plus reddi, quam ſit acceptum. Ut teſtantur *Ariſt. 5. Ethic. & D. Th. 2. 2. qu. 106. art. 6. Fortun. l. 2. §. Jus naturale, 65. ff. de juſtit. & jure Purpuratus l. Cum quid n. 131. ff. ſi cert. pet* Quare *Seneca l. 2. de benef. c. 18.* inquit, *diligentius quærendus eſt beneficii, quam pecuniæ creditor, huic enim reddendum eſt, quantum accepi, illi vero plus ſolvendum eſt*. Unde *Decius, & Lancellot. l. Quæ dotis, ff. ſolut. matrim.* ajunt beneficii acceptatorem inſtar agri fertilis futurum plus reddentis, quam accipiat. 7

8 Alii fuerunt in alio extremo, cenſentes benemerita tunc dici æquivalentia donationi, quando hæc non excedit dimidium remunerationis illis debitæ: juxta *l. 2. C. de reſcind. vend.* Sic *Bald. auth. Ex teſtamento, nu. 1. fin. C. de collat. Salicet.* & alii, quos refert *Tiraq. d. l. Si unquam, verb. Donatione largitus, nu. 81.* Sed hanc ſent. bene rejiciunt *Tiraq. ibi, nu. 82. Jo: Lup. rubr. de donat §. 50. n. 29.* Nec alicui ſolido innititur fundamento.

9 Alii opinantur, dici æquivalentia, quando in modico excedit donatio meritorum valorem: nempe in quarta parte: ut ſi merita valeant, 12. & donentur 16. tunc enim tota donatio cenſetur remuneratoria. Secus ſi exceſſus ſit nimius, in illo enim erit liberalis donatio. Ducuntur per *l. Si vero, §. Idem Papinianus, ff. mandat.* quia ibi patronus donarat fundum liberto, & beſſem pretii quoad ſolverat pro eo fundo, & libertus poſtea conſentiens fundum vendi per patronum, cenſetur animo remunerandi conſenſiſſe, ita ut valeat venditio facta per patronum, & ipſe integrum pretium recipiat. In quo non tantum continetur beſſis pretii, quod patronus ei donarat, ſed etiam triens pretii, quod ex propriis bonis libertus ſolverat. Sic tenet *Nav. de reditibus, q. 1. nu. 91. & apolog. ad eum lib. in 1. edit. q. 1. mon. 82. n. 6. Barboſ. l. Quæ dotis, 34 nu. 60. ff. ſolut. matr.* Et hæc opinio ſatis probabilis eſt.

10 Magis tamen placet hoc arbitrio prudentis relinquendum eſſe, attenta donantis qualitate, an dives ſit, vel nobilis, cum ſoleant nobiles multo majorem referre gratiam, *c. 1. Donat.* Sic *Tiraq. d. l. Si unquam, verb. Donat. largitus, nu. 84. & 86. Menoch.* cum aliis quos refert, *de arbitrariis, lib. 2. caſu 132. n. 7. & ſeqq. Julius Clarus l. 4. receptarum, §. Donat. qu. 3. fi. & q. 8. §. Sed pone, Jo: Garzia de donat. remuner. nu. 53.* Quare optime *Tiraquel. ibi, n 84.* alios referens, *& Menoch. ibi n. 9.* ajunt totam donationem dici remuneratoriam, quamvis merita excedat, ſi non excedat id quod divites, ac nobiles in eo eventu remunerare ſolent.

11 III. Concluſio, donatio remuneratoria inter conjuges, valida eſt. Hæc eſt contra Pinellum, n. 1. alleg. 1. prob. nam jura ſolam donationem inter conjuges prohibent (ut conſtat ex dictis hoc 6. lib. tota diſp. 1.) ſed donatio remuneratoria, quamvis merita non pariat actionem ex juſtitiæ lege, non eſt abſoluta donatio, ſed potius debiti ſolutio (ut probavi n. 2.) ergo non cenſetur inter eos prohibita 2. probatur ex *l. Quod autem §. Si, vir ff. de donat. inter vir. & uxor.* ibi dicitur valere donationem, ſi vir, & uxor ad invicem ſibi donent. Quem textum licet aliter intelligat Pinellus ut retuli n. 1. at multi Juriſperiti graviſſimi, quos ſtatim referam, intelligunt donationem illam ſuſtineri: quia eſt remuneratoria. Sic *Abb. c. fin. n. 7. de donat. inter vir. & uxor. Alexand. de Nev. ibi n. 7. Præpoſ. n. 3. Tiraquel.* multos referens, *de nobilit. c. 18. n. 19. & l. Si unquam, verb. Donatione largitus, n. 19. C. de revocand. donat. & in conſuet. Galliæ, tit. 14. §. 10. gl. 1. in princ. fallent. 2. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 32. n. 8. Roſella Donatio, n. 32. Angel. Donat. 3. init. Silv. Donat. 2. qu. 1. Tabiena Donat. 3. init. Armilla verb. Donat. n. 24. Rolandus conſ. 5. vol. 1. Ant. Gomez l. 52. Tauri, nu. 66. caſu 4. Menoch. de arbitrar. l. 2. caſu 132. n. 4. Jo: Garzia de donation. remuner. nu. 21. Gratian. reg. 150. n. 28.* Et ex Theologis, *Molina tom. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 289. §. Tertius ſi fiat.* Ejuſdem ſent. ſunt DD. diſp. ſeq. nu. 3. allegandi: nam ideo concedunt, virum ignobilem poſſe conſtante matrimon. uxori nobili dotem conſtituere, quia eſt donatio remuneratoria. Ejuſdem ſent. ſunt DD. aſſerentes poſſe arrhas dari uxori per maritum, poſt initum matrim. quos referam hoc 6. lib. diſput. 28. num. 2. Ducuntur enim, quia ea eſt donatio remuneratoria.

12 Hinc infertur mulieri abſque matrim. ſpe donanti viro, cui poſtea nupſit, poſſe conſtante matrim. virum donationem remuneratoriam illius prioris efficere. Sic *Joan. Lup. rubr. de donat. §. 32. num. 8. fine.*

13 Dubitabis autem, quæ obſequia uxoris minime ſint viro debita, ut ob ea liceat viro uxorem remunerare? *Pinel. de bonis mater. l. 1. p. 3. n 91. verſ. Sed prædicti viri*, docent uxorem omnia obſequia viro debere, ac proinde nulla eſſe remuneratione digna. Idem *Barbarius addit. ad Bald. l. Si uxorem, C. de condit. inſer.* aſſerens uxorem nobilem teneri ad obſequia, licet vilia ſint. Et videntur tenere *Jo: And. c. Litteras n. 9. de reſtit. ſpol. & Angel. verb. Uxor, n. 2.* dicunt enim indiſtincte teneri uxorem ad obſequia viri etiam vilia. Et hoc dicit forte verius eſſe, *Tiraq. de nobil. c. 20 n. 95. & ſeqq.* ad quem locum ſe remiſerat, *l. 1. connub. gloſ. 1. p. n. 27.* Et probat, quia non debet eſſe conditio creditoris deterior, ob debitoris nobilitatem, niſi aliter eſſet jure cautum: at ex juris diſpoſitione tenetur uxor operas præſtare viro, cum ſit ipſi ſubdita, *l. Sed ſi vir ex lana, ff. de donat. inter vir. & uxor.* bonus textus, *c. Hæc imago, & c. Eſt ordo 33. q. 5.* ubi dicitur mulierem eſſe viro ſubditam, & pene ejus famulam, ergo licet uxor ſit nobilis, ad hæc tenetur: cum in jure non excipiatur. 2. quia ab initio contracti matrim. inerat ea dignitas uxori, ergo ea non excuſat ab his obſequiis: eo enim quod ſe ad matrim. obligavit, conſequenter ſe ad hæc obſequia aſtrinxit.

14 Sed verius eſt non teneri uxorem nobilem ad ea obſequia vilia, ſed ad ea ſola, quæ juxta ſuam dignitatem, ac conditionem non dedecent: quare ſi ea vilia præſtet, erit digna remuneratione. Unde non tenetur lavare pedes, & caput viri, cibos condire, & alia ſervilia miniſteria exercere. Facit optime in alio ſimili *l. Interdum, la 1. ff. de oper. lib.* ibi, *ſed ſi liberta quæ operas promiſit, ad eam dignitatem perveniat, ut inconveniens ſit præſtare patrono operas, ipſo jure hæc intercidunt*. Sic docent *Bald. l. Si uxorem, nu 6. C. de conditionibus inſer. Abb. c. Litteras, nu. 27. de reſt. ſpoliat. Felinus c. Illud, n. 11. de præſumpt verſ. Adde iſtis, Decius conſ. 202. verſ. Nec obſtat quod alia, Corſetus tr. de poteſt. reg. q. 30. fin. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 31. n. 2. & §. 50. n. 33. & §. 62. nu. 6. Roſella verb. Uxor, n. 6. & ibi Silv. qu. 2. Suarez lib 9. tit. De los pleitos, n. 13. fin. lib. 1. fori Jo: Garzia de donat. remuner. n. 28.* Et conferunt ad hoc quæ docent *Cynus, & Salicet. d. l. Si uxorem, & Guliel. Bened. c. Rayn. de teſt. verb. Dotem quam ei dederat, n. 47.* ubi docent, uxorem nobilem non teneri operari viro. Quæ tamen intelligerem niſi conjuges ita pauperes eſſent, ut famulam conducere nequirent, hæc obſequia præſtituram. Tunc enim uxor ratione neceſſitatis de ea teneretur. Similiter erunt obſequia remuneratione digna, licet alias debita, ſi eſſent impenſa diutiſſime, & magna cura in gravi, & longa ægritudine patris, vel viri: ut cum *Decio, & Pariſio*, docent *Tiraq. l. Si unquam, verb. Donatione largitus, n. 108. C. de revoc. don. Meres de Major. 1. q. 22. n. 22.* Ad arg. propoſita nu. præced. fine, facile reſpondetur, numquam uxorem debuiſſe obſequia viro, quæ ſuam dedecent dignitatem: nec ad ea per matrim. ſe obligaſſe.

DISPUTATIO VII.

Utrum valeat donatio, qua alteruter conjux alteri dotem conſtituit?

SUMMARIUM.

Valet, ſi uxor etiam conſtante matrim. dotem conſtituat marito, num. 1.

Vir conſtante matr. vel ante, an poſſit dotare uxorem, 2.

An valeat quando eſt diſparitas inter conjuges, ætate, nobilitate, aut divitiis, 3.

Quid, ſi ea nobilitas feminæ compenſetur viri divitiis, 4.

An hæc dos, per virum conſtituta feminæ, habeat dotis privilegia, 5.

An valeat hæc dos, quando vir feminam deflorat: & eam ducit, & dotat, 6.

Valet quando Pontifex diſpenſat in impedimento, ea lege ut vir dotet uxorem, n. 7. quando eſt conſuetudo dotandi, n. 8. Et quando eſt pro pacis bono inter conſanguineos viri, & uxoris, 9.

PRima Concluſio ſit: uxor, non tantum ante matrim. ſed etiam eo conſtante poteſt dotem conſtituere viro. Prob. quia mulier dotata a principio poteſt conſtante matrim. augere dotem, *l. Si conſtante, & l. fi. verſ. Quare enim, paulo poſt princ. C. de donat. ante nupt.* Et expreſſius, *inſt. de donat. §. Eſt & aliud, verſ. Et primis quidem*, ergo a fortiori dotem conſtituere poterit, quando dotata non eſt. Præterea, quia eſt ſatis probabile mulierem divitem nullo de dote pacto inito, cenſeri bona in dotem promittere (ut dixi l. 1. diſp. 59. n. 4.) Si autem poſt matrim. initum, bona aliquot comparavit, remunerat beneficium a viro acceptum, qui indotatam eam recepit. Tandem, quia dos ſoluto matrim. redit ad uxorem, non ſic autem quando vir dotat uxorem, ſed ea dos eſt uxori ſoluto matrimon. quare mirum non eſt, ſi uxor poſſit conſtante matrim. virum dotare, non tamen id liceat viro reſpectu uxoris: ut dicemus nu. ſequenti. Sic docent *Bald. Novellus de dote 7. p. privil. 8. Jo: Lup. rub. de donat. § 53. n. 1. & 2. Mantic. de conject. ult. vol. l. 11. tit. 22. n. 2. Baeza de non melior. filiab. c. 5. n. 16.* Addit *Novellus*, ſi dos excedat congruentiam, juxta viri qualitatem, non valere exceſſum. Quia eſt donatio ſimplex. Sed de hoc dubitat *Jo: Lup. ibi fine, & Baeza nu. 17.* & merito magis in eam partem inclinat, ut valeat, cum ea dos reditura ſit ad ipſam uxorem ſoluto matrimonio. 1

II. Concluſio: non valet ſi vir conſtante matrimonio dotet uxorem. Prob. ex *l. Si quis uxori, ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi habetur, ſi vir donaſſet rem uxori, eo pacto, ut poſtea uxor eam ſibi in dotem daret, non valere. Et ratio eſt, quia conſtituere dotem, eſt donare *l. fin. §. Si a ſocero, ff. Quæ in frau. credit.* Sic docent *Abbas c. Et ſi neceſſe, n. 2. de don. inter vir. & uxor.* ubi *Alex. de Nev. nu. 2. Præpoſ. nu. 1. Bart. Soc. l. 1. n. 70. ff. ſolut. matr. Jo: Lup rub. de donat. § 30. nu. 1. Silv. verb. Dos, q. 6.* ubi *Angel. n. 6. Armill. nu. 8. Tabiena q. 5. n. 6. Baeza de non melior, filiab. c. 16. n. 40.* Idem dicendum eſt, ſi fiat hæc dotis conſtitutio ante contractum matr. referendo ſe ad tempus quo contractum eſt: ideſt, quando datur hac lege, ut inito matrim. & non alias acquiratur. Nam donatio inter ſponſos relata in tempus matr. nulla eſt (ut dixi hoc l. 6. diſp. 1. n. 6.) Sic docent *Abb. Præpoſ. Alex. de Nev. Bart. Socin. Jo: Lud. n. 2. Angel. Silv. Tab. prox. cit.* Quare de his donationibus judicandum eſt, ſicut de ceteris factis inter virum, & uxorem, quæ invalidæ ſunt, niſi morte confirmentur: ut bene tradit *Bart. Socinus, ibid.* Si tamen vir ante initum matrim. abſolute dotaret uxorem non referendo ſe ad tempus contracti matrimon. ſed ita ut ſtatim acquireret illius dominium, valet, ut expreſſe probatur ex *l. 1. C. de donat. ante nupt.* Sic docent *Abb.* 2

Alex.